BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
43 A
29

Digitized by Google

5 L n. 6

B
IX
11.

~~V~~
~~IX~~
~~29~~
~~PPP~~
~~II~~
~~12~~

Digitized by Google

Digitized by Google

# CONIECTVRA
# DE GOG
# ET MAGOG
## AD EZECHIELIS
XXXVIII & XXXIX.

...CA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

BIBL... AD VINCULA

Anno
CIↃ IↃ C XLV.

Ex Bibl·
Ios·Ren·Card·
Imperialis·

Digitized by Google

# EZECHIELIS

## CAP. XXXVIII.

*Et factum eſt verbum Domini ad me, dicendo:*

2. *Fili hominis, pone faciem tuam verſus Gog, in terra* ʒ *Magog; principem primarium Meſech & Tubal: & vaticinare contra ipſum,*

3. *et dic; Sic dixit Dominus Deus. Ecce ego ad te, Gog, princeps primarie Meſech & Tubal.*

4. *Et reducam te, & dabo hamos in maxillas tuas, & educam te & omnem exercitum tuum, equos & equites, indutos panoplia omnes; panegyrin amplam,* cum *ſcuto & clypeo; tenentes gladios omnes.*

5. *Pharas, Cuſch & Put cum illis* ſunt. *Omnes* cum *clypeo & galea.*

6. *Gomer & omnes alas ejus, domum Togarmah, latera Aquilonis* & *omnes alas ejus* educam, *populos multos tecum.*

7. *Eſto paratus, & para tibi, tu & omnis panegyris tua, qui congregantur ad te, & quibus factus es in obſervationem.*

8. *Poſt dies multos deſideraberis. In extre-*

*mo annorum venies in terram reductam à gladio, collectam ex populis multis; ad montes Iſraëlis, qui fuerant in vaſtitatem ſemper: & illa è populis educta eſt; & ſedent ſecurè omnes.*

9. *Et aſcendes, ut procella venies; ut nubes ad tegendum terram eris; tu & omnes alæ tuæ & populi multi tecum.*

10. *Sic dixit Dominus Deus. Et erit in die illo, aſcendent verba in cor tuum, & cogitabis cogitationem mali:*

11. *& dices; Aſcendam in terram pagorum, invadam tranquillos habitantes ſecurè. Omnes illi ſedent ſine muro, & vectis ac valvæ non ſunt illis.*

12. *Ad ſpolia agendum & prædam, ad referendum manum tuam ſuper vaſtitates habitatas, & ſuper populum collectum ex gentibus, facientem pecuaria & poſſeſſionem, habitantes in umbilico terræ.*

13. *Scheba & Dedan & negociatores Tarſis & omnes leunculi ejus dicent tibi: An ad agendum ſpolia tu veniſti? An ad agendum prædas congregaſti panegyrin tuam? ad ferendum argentum & aurum, ad capiendum pecuaria & poſſeſſiones, ad agendum ſpolia magna?*

14. *Idcirco vaticinare, fili hominis, & dic Gogo: Sic dixit Dominus Deus; Annon die illo, quum ſedebit populus meus Iſraël ſecurè, cognoſces,*

15. &

15. & venies ex loco tuo à lateribus Aquilo-
nis, tu & populi multi tecum, vecti equis omnes,
panegyris magna & exercitus amplus;
16. & aſcendes ſupra populum meum Iſraë-
lem ut nubes ad tegendam terram? In fine dierum
eris, & adducam te in terram meam, ut cogno-
ſcant gentes me, quum ſanctificabor in te in oculis
ipſorum, Gog.
17. Sic dixit Dominus Deus: An tu is es,
de quo locutus ſum diebus priſcis per ſervos meos
prophetas Iſraëlis, qui vaticinabantur in diebus
illis, annis, de adducendo te ſuper ipſos!
18. Et erit in die illo, die, quo veniet Gog
contra terram Iſraëlis (dictum Domini Dei)
aſcendet ardor meus in naſum meum.
19. & in zelo meo, in igne excandeſcentiæ
meæ loquor, Si non in illo die erit terræ motus
magnus in terra Iſraël:
20. & commovebuntur à facie mea piſces
maris, & volucres cœli, & feræ agri, & omne
reptile, quod ſe movet ſuper terra, & omnis homo,
qui eſt in ſuperficie terræ, & deſtruentur mon-
tes, & cadent faſtigia, & omnis murus in terram
cadet.
21. Et vocabo contra ipſum in omnes mon-
tes meos gladium, dictum Domini Dei. Gladius
viri in fratrem ſuum erit.
22. Et diſceptabo cum ipſo peſte & ſan-
guine & imbre exundante, & lapidibus gran-

 dinis.

*dinis. Ignem & ſulphur pluam in ipſum & in alas ejus, & in populos multos, qui ſunt cum ipſo.*

23. *Et magnificabo me, & ſanctificabo me, & cognoſcendum me præbebo ante oculos gentium multarum: & cognoſcent, quod ego* ſum IEHOVAH.

## CAP. XXXIX.

1. E*t tu, fili hominis, vaticinare contra Gogum, & dic: Sic dixit Dominus Deus; Ecce ego contra te, Gog, princeps primarie Meſech & Tubal.*

2. *Et reducam te & ſextabo* (vel, ſenario inſigniam) *te, & faciam te aſcendere à lateribus Aquilonis, & adducam te in montes Iſraëlis.*

3. *Et excutiam arcum tuum è manu læva tua, & ſagittas tuas è manu dextra tua faciam cadere.*

4. *In montibus Iſraëlis cades, tu & omnes alæ tuæ, & populi, qui tecum* ſunt. *Volatili, avibus omnis alæ & feræ agri dedi te cibum.*

5. *In facie agri cades. Nam ego locutus ſum, ait Dominus Deus.*

6. *Et injiciam ignem in Magog, & in habitantes inſulas ſecurè, & cognoſcent, quòd ego ſim* IEHOVAH.

7. *Et nomen ſanctum meum notificabo in*

*medio*

Digitized by Google

*medio populi mei Iſraëlis, & non ſinam profanari nomen meum amplius: & cognoſcent gentes, quod ego* ſim IEHOVAH, *ſanctus in Iſraële.*

8. *Ecce venit & factum eſt, ait Dominus Deus. Ille* eſt *dies, quem locutus ſum.*

9. *Et exibunt habitantes oppida Iſraëlis, & accendent & inflammabunt armaturam, & clypeum & ſcutum, arcum & ſagittas, baculum manualem & haſtam: & accendent in illis ignem, ſeptem annis:*

10. *(Et non capient ligna ab agro, neque cædent ex ſylvis; ſed armaturâ accendent ignem) & ſpoliabunt ſpoliatores ſuos, & prædabuntur prædatores ſuos, ait Dominus Deus.*

11. *Et erit in die illo, dabo Gogo locum, ubi* ſit *ſepulchrum, in Iſraële; vallem tranſeuntium verſus Orientem maris;* & erit *illa frenans tranſeuntes: & ſepelient ibi Gogum & omnem turbam ejus. & vocabunt, Vallis turbæ Gogi.*

12. *Et ſepelient eos domus Iſraëlis, ad purgandam terram, ſeptem menſibus.*

13. *Et ſepelient omnis populus terræ, & erit ipſis in nomen, die, quo glorificabor; ait Dominus Deus:*

14. *Et viros perpetuos ſeparabunt Tranſeuntes per terram, ſepelientes cum Tranſeuntibus reliquos in facie terræ, ad purgandum illam. A fine ſeptem menſium ſcrutabuntur.*

15. *Et tranſibunt Tranſeuntes per terram,*

*& conſpicietur ſceleton hominis ; & ædificabitur juxta illud herma, donec ſepelient illud Sepelientes in vallem Turbæ Gogi ,*

16. *atque etiam Nomen Vrbis Hamonah ſepeliant, & purgent terram.*

17. *Et tu, fili hominis, ſic dixit Dominus Deus, dic volucri omnis alæ, & omnibus feris agri, Congregamini & venite, convenite undiquaque ad epulum meum, quod ego macto vobis, epulum magnum, in montibus Iſraëlis, & edite carnem & bibite ſanguinem.*

18. *Carnem fortium comedetis, & ſanguinem principum terræ bibetis, arietum, agnorum, & majorum arietum, juvencorum, ſaginatorum Baſanis omnium.*

19. *& edetis adipem ad ſatietatem & bibetis ſanguinem ad ebrietatem, de epulo meo quod apparavi vobis.*

20. *Et ſatiabimini ad menſam meam equis & quadrigis, forti & omni viro bellicoſo, ait Dominus Deus.*

21. *Et dabo gloriam meam in gentibus, & videbunt omnes gentes judicium meum quod fecero, & manum meam, quam poſuero in ipſis.*

22. *Et cognoſcent domus Iſraëlis, quod ego* IEHOVAH *Deus ipſorum* ſim, *ab illo die & in poſterum.*

23. *Et cognoſcent gentes, quòd ob pravitatem ſuam exulaverunt Domus Iſraël, propterea quòd*

Digitized by Google

*quòd prævaricati fuerint in me, atque ideò occultaverim faciem meam ab ipſis, & dederim illos in manum hoſtium ipſorum, & ceciderint in gladio omnes ipſi.*

24. *Pro impuritate ipſorum & pro defectionibus ipſorum feci cum ipſis, & occultavi faciem meam ab ipſis.*

25. *Idcircò, ſic dixit Dominus Deus, nunc reſtituam Iſraëlem in integrum, & miſerabor totam domum Iſraëlis, & zelabo pro nomine ſancto meo.*

26. Etenim *tulerunt ignominiam ſuam & omnem prævaricationem ſuam (qua prævaricati ſunt in me, quum ſederent in terra ſua ſecurè & non eſſet perturbans;*

27. *quum reduxiſſem ipſos ex populis & collegiſſem ipſos ex terris inimicorum ſuorum) & ſanctificatus ſum in ipſis ante oculos gentium multarum.*

28. *Et cognoſcent, quòd ego* IEHOVAH ſim *Deus ipſorum, dum eos deportabo-exules in gentes & colligam illos in terram ſuam, & non faciam reſiduum ex ipſis ibi adhuc* quemquam.

29. *Et non occultabo adhuc faciem meam ab ipſis, qui fudi ſpiritum meum ſuper domum Iſraëlis, ait Dominus Deus.*



Digitized by Google

# CONIECTVRA

## AD CAP. XXXVIII.

Hujus Prophetiæ argumentum pertinet ad tempus Novi Teſtamenti. Id Bellarminus extra dubium ponit, de Rom. Pont. lib. III. c. 18. §. *Prima.* Hoc vero ita eſſe, apparet ex Apoc. xx. ℣. 8. ubi dicitur, Diabolum *egreſſurum ad ſeducendum gentes in quatuor angulis terræ,* τὸν Γὼγ καὶ τὸν Μαγώγ. q. d. *illum Gog & illum Magog*, de quo Ezechiel præloquutus eſt. Approbat etiam Apoc. XIX. ℣. 17, 18. ubi eſt eadem invitatio volucrium ad cœnam Dei, quæ Ezech. XXXIX. 17. Ex quorum locorum παραλληλία ſive conformitate elucet, in Gogi exercitu eſſe *Beſtiam* Apocalypticã, ſive regnum illud mundanum, quod ſub Novo Teſtamento ſe pro Eccleſia falsò venditat, *& Pſeudoprophetam*, ſive falſos doctores à Deo non miſſos, ſibi tamen interpretationem Scripturæ infallibilem & doctrinam veritatis, etiam extra verbum, tanquam prophetis arrogantes, aut ſaltem Capiti ſuo attribuentes: & *accipientes notam Beſtiæ*, h. e. legem falſæ Eccleſiæ, quæ eſt interpolatio & adulteratio veritatis per mendacium. Apoc. XIX. ℣. 19, 20. ubi, poſt invitationem volucrium ad cœnam Dei, hæc leguntur. *Et vidi Beſtiam & reges terræ & exercitus ipſorum congregatos ad faciendum bellum cum eo, qui ſedebat in equo, & cum exercitu ejus. Et prehenſa eſt Beſtia, & cum ea Pſeudopropheta, qui fecerat ſigna coram illa, quibus ſeduxerat eos, qui acceperant notam Beſtiæ, & adorantes imaginem ejus. Vivi conjecti ſunt hi duo in lacum ignis ardentem ſulphure, &c.* Ipſe Ezechiel teſtatur Gogum venturum *in fine dierum* (quo vocabulo tempus Novi Teſtamenti ſignificari ſolet. vide 1 Ioh. II: 18. Eſa. II. ℣. 2.) & poſt multos *annos*, agnitumque iri à poſteris, quod Prophetæ Iſraëlis de ipſo locuti ſunt.

His

Digitized by Google

His addatur, quod hæc prophetia neque ſecundum literam neque in myſterio eſt impleta ſub Veteri Teſtamento. Neque enim fuit ullus Gog princeps in terra Magog, neque iſtiuſmodi res geſtæ: & multæ partes prophetiæ literalem ſive proprium ſenſum ſine tropo reſpuunt. Inprimis, quod dicitur in fine cap. XXXIX. factum non eſt illo tempore: ſcil. ut reducerentur Iſraëlitæ ex terris inimicorum ſuorum nemine relicto, & effunderet Deus ſpiritum ſanctum in domum Iſraëlis. Nam poſt Antiochi tempora nulla facta eſt reductio: imo major facta eſt populi diſperſio per omnes terras. Mox etiam pervenerunt in poteſtatem Romanorum, à quibus ſublata eſt Reſpublica & templum. Spiritus ſanctus autem in Eccleſiam Chriſtianam per Chriſtum quidem effuſus eſt: ſed & horribilis Eccleſiæ exagitatio ſecuta eſt. Iudæi quoque Gogi expeditionem ponunt in ultimo tempore, in diebus ἀντιλήψεως ſive vindicationis ex manu hoſtium per Chriſtum.

Filum prophetiæ negligendum non eſt. Cap. XXXVI. pollicetur reductionem in terram è captivitate Babylonica: deinde ablutionem peccatorum per aquam mundam h. e. ſanguinem Chriſti, & effuſionem Spiritus Sancti: tum dationem terræ Patribus promiſſæ; quam Apoſtolus vocat κληρονομίαν τοῦ κόσμου, *hereditatem mundi*, Rom. IV. ℣. 13. quæ à filiis Abrahami, ambulantibus in veſtigiis fidei Abrahami accipitur in Chriſto rege; cui dantur gentes in hereditatem & in poſſeſſionem fines terræ. Pſal. II. ℣. 8. Quod quidem regnum in hoc mundo eſt, h. e. non tantum in Iudæis, ſed magis in gentibus; ſed non de hoc mundo, h. e. non mundanum, ſed ſpirituale regnum eſt.

Cap. XXXVII. per typum & argumentum reſurrectionis mortuorum repræſentatur & obſignatur reductio Iſraëlitarum & collectio illorum poſt longum tempus ex captivitatibus tanquam ex ſepulchris ſuis. Novimus autem, eſſe non tantum reductionem poſt 70. annos captivitatis Babylonicæ, ut corporibus redirent in terram Cananæam; ſed eſſe etiam electorum ſimilem reductionem & collectionem ex morte peccati & ignorantiæ Dei in mundo, Ioh. V. ℣. 25. *Venit hora &*

*nunc*

*nunc eſt, cum mortui audient vocem Dei, & audientes vivent.* Deinde Eccleſiam ex multis oppreſſionibus & corruptionibus erectam colligi. Denique poſt introductam maximam gentium copiam expectari, ut *totus Iſrael* (ſic & Ezechiel loquitur cap. XXXIX. ℣. 25.) ſervetur Rom. XI. ℣. 25, 26. Quam recollectionem ultimam Daniel cum reſurrectione ex mortuis comparat c. XII. ℣. 2. *Et multi ex dormientibus in terra pulveris expergiſcentur. Multi*, h. e. maxima multitudo electorum in toto mundo (ut & Ezechiel dicit חַיִל רַב *exercitus multus*, & Apocal. VII. ℣. 9. *turba multa, quam nemo poterat numerare, ex omni gente*) venient ad cognitionem veritatis & ex ſua morte ſpirituali reſurgent. *Hi*, inquit, erunt *in vitam æternam: ſed illi*, de quibus ſuperiori capite dictum, cœtus Antichriſti, qui dicunt ſe vivere & mortui ſunt, erunt *in horrorem æternum.* Similiter Eſa. LXVI. ℣. 24. *Exibunt & videbunt cadavera virorum, qui defecerunt à me. Nam vermis illorum non morietur & ignis illorum non extinguetur. & erunt horrori omni carni.* Plane ſic & Apocal. c. XX. ℣ 13, 14. tum de reſurrectione ſpiritualiter mortuorum, tum de mortis ac inferni conjectione in ſtagnum ignis vaticinatur; quod nihil aliud ſignificat, quam ſeducentium (hi enim *mors* vocantur, qui docent defectionem à veritate agnita, quæ eſt *mors ſecunda*) & tyrannorum (tyrannis enim detinens homines ſeductos in morte ſecunda Inferni inſtar habet, & ſic indigitatur. vide Apocal. VI. ℣. 8) invidiam & cruciatum ex Eccleſiæ incrementis; præterquam quod illi extra Eccleſiam nullam conſolationem habent. Hoc explicat Zacharias cap. XIV. ℣. 12. per tabem ſtantium ſuper pedes ſuos.

Præterea cap. XXXVII. eſt prophetia de unione populi Dei in partes ſciſſi ſub rege Chriſto. Notandum eſt autem, etiam poſt Chriſtum datum in prophetiis ſimilem ſciſſionem ejus, quæ facta eſt per Iaroboamum, unde ſciſſæ partes Iuda & Ephrajim nominantur, in Eccleſia orituram. Quod liquet vel ex Zach. cap. X. ubi prædicitur etiam ultimis temporibus recollectio Ephraimi & Iudæ. Quemadmodum igitur Chriſtus docens

in

Digitized by Google

in toto Iſraële & Apoſtolos mittens ad ipſos, per vocationem ad fidem collegit omnes tribus Iſraëlis ſcil. in electis ipſarum, qui ſunt ſemen promiſſionis: ita etiam poſtea ſanaturus eſt Chriſtus rupturas populi, & pacem facturus eſt. Quod fiet inſigniter ultimis temporibus, quum prædicabitur Euangelium regni in toto mundo. Huc reſpicit Ezechiel in fine cap. XXXVII.

Ergo in cap. XXXVIII, & XXXIX. de Gogo agitur ut turbaturo pacem Eccleſiæ; cujus caſu tandem Eccleſia ad pacem, & plenam hereditatem mundi perveniet, ut ipſi ſerviant omnia regna, utque recolligantur ſciſſi, ipſique Iudæi indurati ad Eccleſiam aſſocientur. Quæ recollectio iteratò inculcatur cap. XXXIX. ℣. 27, 28.

Duo hæc capita Ezechielis eandem prophetiam continent, quoad materiam ſive ſubjectum: cum hoc diſcrimine, quod quædam partes prophetiæ pleniùs in altero illorum explicentur. In capite XXXVIII. deprehenditur Gog manifeſtatus in ultimo ſuo conatu. In cap. XXXIX. totus Gog proponitur. ita tamen, ut expeditio illius ultima ſuo loco potius innuatur & præſupponatur, quam explicetur; quippe cap. XXXVIII. jam explicata.

Subjectum prophetiæ eſt GOG. quod ſubjectum conſideratur ut perſona, princeps Meſech & Tubal: non ut terra. Peccant igitur vehementer illi interpretes, qui ut ad *Gygem* hîc alluſum probare poſſint, *γυγαίην γῆν terram Gygæam*, ut fortè apud Homerum (qui tamen poëta non Geographus fuit) alicubi *γυγαίη λίμνη lacus Gygæus* memoratur, hic innui volunt; ut ſit *Gog princeps* idem quod *princeps Gygæa.* quum tamen textus diſtinctè habeat: *Ad Gogum, in terrâ Magog, principem primarium ſive capitalem Meſech & Tubal.*

GOG accipi poteſt, ut nomen proprium per alluſionem ad poſteros Rubenis primogeniti Iſraëlis, 1 Chron. c. v. ℣. 4. Ita ſignificabitur 1. eſſe ex Eccleſia & ex illa exiviſſe eum, qui hoc nomine ſignificatur, & 2. primatum ſecundum carnem obtinuiſſe, ut Ruben primogenitus filiorum Iſraël, & in eo Gog, quinta generatio, cujus atnepos Beerah, generatio decima, Princeps tribus

bus Rubeniticæ à Tiglat Pileſere in captivitatem abdu-ctus eſt. 3. honore ſuo propter violatum lectum patris (dum ſe ſponſæ Chriſti ſponſum facit) excidiſſe. Hæc alluſio multò eſt veriſimilior, quam ut Antiochus ſub nomine Gygis in ſcenam producatur. Neque enim Antiochus vel ex proſapia vel ex gente Gygis fuit, vel in rebus geſtis hic illius typum prætulit. neque aliquid commune habent hi duo niſi locum. Vt perinde ſit Antiochum appellare Gygem atque Iſraëlitas appellare Amorræos vel Cananæos, tantùm quia illorum ſedes occupaverint. Præterea nomen Gygis in Scripturis ignotum eſt, neque veriſimile eſt adeò ignoto nomine voluiſſe Antiochum depingere. Et quæ cauſa erat ita tegendi Antiochum? Daniel illum longè apertius deſignat cap. VIII. & XI. Et verò intererat Iudæorum id fieri, quum brevi immineret Antiochi tentatio.

Non minùs veriſimile eſt *Gog* eſſe nomen proprium non diacriticum, quale ſinguli homines gerunt, ſed continens deſcriptionem ſui ſubjecti in virtute nominis. Quale nomen eſt *Immanuel*, quod Chriſto inditum non eſt, quoad ſonum literarum; ſed illum plenè deſcribit & clarè, quoad poteſtatem ſignificandi. Ergo *Gog* dicitur quaſi *Gag*, h. e. *tectum*. Notat enim eum, qui ſe ponit medium inter Deum & homines, quemadmodum *tectum* intercedit inter cœlum & terram. *Cælum enim eſt Domini, terram dedit filiis hominis*. Pſal. CXV. ℣.16. Hinc myſtico ſignificatu *Cœlum* notat eminentiam Chriſti Regis: *Terra* autem ſtatum fidelium credentium in Chriſtum, & ab illo lumen, & calorem ſpiritualem charitatis, & benedictionum ſpiritualium imbrem accipientium. Antichriſti & Epiſcoporum elatio ſupra Eccleſiam, quatenus Chriſti regnum obſcurat, & quantum in ſe eſt, abolet, vel ſaltèm eos extra regnum Chriſti ponit, vocatur *Cœlum*, habens *Solem*, *Lunam & Stellas*: quæ ut hoc tantùm ſunt mendacio, ita ſuo tempore per demonſtrationem veritatis primò, deinde per variæ jactantiæ coërcitionem abolenda ſunt. Hoc eſt *Lunam expalleſcere, Solem pudefieri, aſtra de cœlo cadere, cœlum convolvi* & aboleri. Quatenus eadem illa præſumpta eminentia ſe ponit mediam inter Deum & ho-

homines, & aſpectum cœli liberum tollit, h. e. fidem non patitur ſtatim dirigi in Chriſtum, benedictioneſque ſpirituales arcet ab Eccleſia, ut per ſe in illam derivandas, evidentiſſimo hieroglyphico & emblemate *Tectum* appellatur. eo ſcilicet modo, quo & *velum* dicitur *omnibus populis ſuperextenſum*. Eſ. xxv. 7. Ita poteſtates Eccleſiaſticæ cum cedris in Libano quercubuſque umbriferis alibi comparantur. Et planè eâdem mente *Gog* appellatur VNVS IN MEDIO h. e. Vnus pro Dei Vicario habitus, ſtans inter Deum & Eccleſiam, *poſt quem* ſive ad quem ſequendum quidam *ſe ſanctificant & ſe purificant*, h. e. voto ſancto & religioſo & ſingulari ſanctitatis profeſſione ſe conſecrant. Eſa. LXVI. ỳ. 17.

*Magog* ſimiliter ex natura vocis ſignificat τὸ ὑπόστεγον ſeu ὑπώροφον. (ea forma, qua eſt מָעוֹז *arx*, à עֹז *robur*) hoc eſt, denotat Terram illam, quæ ab iſto tecto contegitur eique ſubjicitur. videlicet Beſtiam à Pſeudopropheta rectam & inſeſſam. clariùs, Homines, qui per Antichriſtum tanquam imaginem Chriſti ſe in Chriſtum credere putant. Ita capietur hæc vox appellativè. Quod faciendum eſſe ipſe præpoſitus articulus demonſtrat, qui propriis nominibus non ſolet præponi.

Hoc modo ferè & Hieronymus accepit. Vide Bellarminum de Romano Pontif. lib. III. cap. 18. § *Octava eſt.* ubi dicit, *Hieronymum velle, ut Gog notet Tectum & Magog de tecto (Sed hoc eſſet Miggág) illudque ſignificare hæreſiarchas, qui inſtar tecti elati ſunt: hoc verò eos, qui hæreſiarchis credunt eiſque ſubjiciuntur, ut* (N B) *ædificium ſuo tecto.* Hæc in theſi bene ſe habent.

Niſi vero *Magog* hoc modo appellativè accipias, & ſi velis potius eſſe nomen proprium gentis, ſequetur *Magog* eſſe idem, quod *Meſech & Tubal.* quæ quidem diverſæ gentes ſunt, ut patet. Sed Meſech & Tubal ſunt gentes, unà cum aliis, ſubjectæ τῷ *Gog* & ſic conſtituentes τὸ *Magog* h. e. territorium Gogi. Planè non poteſt ſtare, quod quidam hariolantur, per *Gog* intelligi occultos hoſtes Eccleſiæ, per *Magog* vero apertos ſub Mahumete. Habent quidem illi fundamentum in ea derivatione, quam Hieronymus protulit: ſed de-

Digitized by Google

debemus cogitare 1. alind eſſe *Tectum*, quod tegit, aliud *Tectum*, qui tegitur, ſive occultatur. 2. aliud eſſe מָגוֹג *Magog*, aliud מְגַג *Miggág*. Forma enim diſtinctiſſima eſt. 3. Gogum introduci ut apertum hoſtem; & vero Papam eſſe apertiſſimum hoſtem Eccleſiæ reformatæ magis quam Turca eſt Chriſtiani nominis hoſtis. 4. Gogum in prophetia Ezechielis conjungi cum Magog ut principem cum ſubjecto principatu. 5. Magog omnino conſiderari ut gentem vel locum, id patere ex cap. XXXIX. ℣. 6. *Et mittam ignem in Magog*. 6. In Apoc. cap. XX. ℣. 8. conjungi τ̃ Γὼγ καὶ τ̃ Μαγὼγ ut conſpirantes in oppugnatione Eccleſiæ eodem tempore.

In utroque hoc capite prima Gogi deſcriptio eſt, quod ſit *Princeps primarius*, Principatus enim, ubi imperat Antichriſtus, duplex eſt, & *regnum diviſum*. Quod prædictum à Daniele cap. 11. ℣. 41. optimè explicat & inſcius applicat Bellarminus de Clericis cap. XXX. in fine ubi dicit, *Civitatem eſſe unam materialiter & duas formaliter; quia cœtus Laicorum & cœtus Clericorum formaliter duæ Civitates dici poſſunt, quoniam in ipſis etiam temporalibus rebus diverſas leges habent, diverſa tribunalia*, &c. Veriſſimè. In uno regno diviſum regnum eſt. Clerici ſecundùm omnia ſubſunt Papæ. Laici ſubſunt regibus, & cum regibus ſuis ſubſunt Papæ etiam quoad temporalia, ſaltem indirectè. *Primarius* igitur princeps eſt Gog, ſive Papa, Vicarius Chriſti, tectum Eccleſiæ, ut ipſe ait. Nam & in jure Canonico Papa Sol appellatur, Imperator Luna. Et vero eâdem allegoriâ utuntur prophetiæ.

Princeps *Meſech & Tubal* eſt, h. e. (ut ipſe Bellarminus vult, de Rom. Pontif. lib III. cap. 18. §, *Prima*) Sarmatarum & Hiberorum ſive *Hiſpanorum*. Quia has gentes longè à ſemet invicem diſſitas extremas in Europa, regno ſuo, continet. Ab extremitatibus igitur regnum ejus deſcribitur. Gentium priſco ævo migrationes variæ fuêre & longinquæ: nominaque illarum propemodum perierunt. Non poſſumus igitur in deſignatione iſtarum gentium ſummam ἀκρίβειαν vel exigi vel præſtare. Sufficit Europæas gentes denotari, quippe

quippe ex Iapheto ortas, cui facta eſt promiſſio, habitaturum in tentoriis Semi, ſive aſſumtum iri inter primas gentes in ſortem ſanctorum & communionem populi Dei. Si omninò nihil probabile hîc haberemus, quo deſignaremus ipſas gentes hîc notatas, ſufficeret intelligi in genere gentes potentes quidem & latè diffuſas, quæ integram terræ partem occupare poſſint, qualis Meſech & Thubal, linguis diſcriminatas, barbaras, ex poſteritate Iapheti, inſigniri; diſtinctaſque à Græcis, Medis, aliiſque Iapheti poſteris, aliiſque non Iapetidis.

Ne triumphet Gog collectione gentium multarum & magnarum in ditionem ſuam. Sunt enim Meſech & Tubal, non Iſraël, h. e. gentes nomine mutato, dum Chriſtiani vocati Romani eſſe voluerunt, manſerunt. Cauſamque habet Iſraël Dei; cùm ſe circumſpicit & vix quenquam non mendacem invenit, deplorandi commorationem ſuam apud Meſechitas, ut eſt Pſalm cxx.

VERSV 4. cap. XXXVIII. indicatur actus providentiæ Dei circa Gogum. Primus actus eſt REDVCERE. *Et reducam te.* Idem cap. XXXIX. ℣. 2. Significatur reductio ejus ab idololatria gentilium ad cognitionem veritatis. Incunabula Gogi & Magogi ſunt gentilitas. Inde ſanè dicuntur *Gentes, quæ ſunt in quatuor angulis terræ.* Apoc. XX. ℣. 8. *Gentes* vocat Scriptura eos, qui ſunt extra politian Dei, ſine Deo in mundo: *non populus*, ſcil. Dei. Falſi Chriſtiani meritò nominantur Gentes, tum quia ante cognitum Chriſtum fuerant ſeparati à politia & civitate Dei, tum quia, etiam agnito Chriſti nomine, quoad veritatem manſerunt alienati corde; & deinde rurſus defecerunt ab agnita veritate converſi ad eam impugnandam. Ezechiel *reductos* dicit per vocationis ſcil. externæ acceptationem. Ita oportuit Antichriſtum exire ex Eccleſia ſive ex *reductis*, & in Eccleſia thronum erigere. Idem vocabulum de Gogo & Iſraële uſurpat Ezechiel. vide cap. XXXVIII. ℣. 8. & cap. XXXIX. ℣. 27.

Secundus actus providentiæ circa Gogum eſt FRENARE. *Et dabo hamos in maxillas tuas.* Frenabo te, coërcebo, retinebo, ut non poſſis ſtatim in apertum prodire, ſed cogaris per dolum in occulto tyrannidis

tuæ & impietatis jacere fundamenta & gradatim ulterius procedere: deinde frenabo te ſuo tempore, ut cogaris ad tempus Eccleſiæ reformatæ pacem & ædificationem concedere. Prior refrenatio indicatur & 2 Theſſ. II. ℣. 7. *Arcanum jam operatur*. ℣. 6. *quod detinet*, *ſcitis*. ℣. 9. 10. *Adventus ejus erit in omni dolo.* Refrenatio fuit facta per potentiam Gentilis Imperii & crebras perſecutiones Chriſtianorum. Deinde magis magiſque ſe extulit. Hinc eſt, quod & prophetia Antichriſtum ſub figura cornu parvi ſed creſcentis exhibet, Dan. VII. & Apoc. XIII. ordine exhibetur primo Beſtia ex mari aſſcendens, h. e. Cœtus hominum carnalium per agnitionem Chriſti & abnegationem idolorum quaſi ex mari mundi in ſolum Eccleſiæ veniens: deinde Beſtia cum duobus cornibus aſcendens ex terra, h. e. Cœtus epiſcoporum ſe elevans ſupra Eccleſiam; & denique faciens imaginem Beſtiæ, ſive conſtituens Papam vicarium Dei & repræſentantem, quicquid eſt poteſtatis in Eccleſia. Poſterior refrenatio vel ex Apoc. xx. ℣. 9. colligitur, ubi fideles oppugnati conſiderantur ut *caſtra*, ut *urbs*. Hunc ſtatum Eccleſia per refrenationem Dei invito Gogo accepit. Et is ſtatus Iſraëlis apud Ezechielem evidentiſſimus eſt.

Tertius actus providentiæ eſt EDVCERE. *Et educam te & omnem exercitum tuum*, &c. Deo educente prodit Gog contra Eccleſiam tum ad apertam oppreſſionem ſanctorum & blaſphemationem veritatis tentandam; tum etiam ad Eccleſiam reformatã generali expeditione aggrediendam poſt refrenationem ad tempus. Compara frenationem & eductionem cum Apoc. IX. ℣. 14, 15. *Solve quatuor angelos vinctos ad magnum fluvium Euphratem*, h. e. Permitte ut prodeant angeli iſti mali cum ſuis populis pertinentibus ad Babylonis copias, qui jam freno Dei conſtringuntur, licet paratiſſimi ſint ad invadendum Eccleſiam. Memorat Ezechiel in exercitu Gogi *Equos & Equites*, ut & Apoc. IX. ℣. 17. *Equi* notant gentes ſive populos cum ſuis capitibus, h. e. principibus, & caudis, h. e. Monachis & falſis doctoribus non habentibus poteſtatem regendi, ſed habentibus ſua ſimiliter capita, Rectores, Abbates, Generales. *Equites* verò notant

notant Prælatos, quorum armatura myſtica ex Apocalypſi petenda eſt. Hîc dicuntur induti πανοπλίᾳ ſive integrâ armaturâ. In ſpeciem enim univerſam armaturam Dei induerunt, de qua eſt Epheſ. VI. ℣. 13. Nominatim memorantur *Scutum magnum & parvum, Gladii, Galeæ*. quæ myſticum ſignificatum habent. Habent, quoad jactationem, Scutum fidei, Gladium verbi, Galeam ſalutis. Sed illi ſcutum habent, quo freti currunt contra Deum. Iob XV. ℣. 27. imprimis *ſcutum* & *clypeum* protectionis potentiæ mundanæ principum politicorum magnorum & parvorum. Gladium affligentem. Galeam falſæ autoritatis: niſi fortè aptiùs dixeris Protectorem Capitis Eccleſiaſtici politicum. quem Advocatum ſedis Romanæ ſolent appellare. cui analogi ſunt alii monarchæ ſinguli in ſuis regnis Capiti Vniverſalis Eccleſiæ, ut illi loquuntur, defenſionem per ſeſe præſtantes, ut Galea capiti humano. Dicitur *panegyris magna* eo modo, quo & *Civitas magna*. Hierarchia, & unio multarum diœceſeων, multorum item regnorum ſub uno capite affirmatur. Vt jam uniri ſub homine vicario non ſit nota Eccleſiæ Chriſti ſecundum Ezechielem, ſed potius Antichriſti.

VERSU 5. Nominat gentes, quæ ſint cum equis & equitibus, h. e. quæ cum illis faciunt, & iis ancillantur: *Perſas, Æthiopes, Putæos*. Indos orientales accolas Gangis ſinuſque Perſici: Africanos extremos & Americanos intelligo. Hi enim populi optimè ſive per exempla iſta ultimarum gentium, ſive propter originem, indigitati videntur. *Put* quod attinet, facile iis accedo, qui ſtatuunt ejus poſteros habitaſſe in angulo ultimo Africæ ad Occaſum in Mauritania; ubi etiamnum non longè à Feſa Fluvius Phut eſſe dicitur. Fuit Put frater Cuſchi & Miſrajim. Ab hoc ſunt Ægyptii & Ægyptus nomen ab illo in Scripturis habet. Cuſch eſt in Scripturis Æthiopum natio & terra. Neque de eo dubium. Attamen Chuſchi nepotes Saba & Dedan (qui in Arabia ſedes invenerunt) ab ea gente, quæ avi nomen retinuit, diſtinguendi ſunt. Nos Æthiopiam non omnem cum Gogo facere ſcimus: tamen eas partes Æthiopiæ & Africæ, unde magnus eſt Gogitis proventus, tan-



Digitized by Google

quam cum Gogo facientes à Propheta notari putamus; licèt qui ibi faveant Gogo ſint ex Europæis Gentibus. Sed notum eſt ex eo loco, in quo habitat, quemvis cenſeri. Et verò Æthiopes ipſi magno numero Gogitis ſerviunt. Iam præterea Prophetia aliam adhuc terræ partem indigitat, cujus incolæ etiam ex Chamo prodierint. Et ſi hoc ſolo indigitamento notati eſſent, quis conſiderans eum, qui idoneis argumentis Gog eſſe deprehenditur, è regione Africæ verſùs Occaſum tenere Americæ partes inſignes, non veniret ſtatim in illam cogitationem, Americam Africæ oppoſitam, quatenus à Gogitis tenetur, intelligi? Atqui, ſi Putæi ſunt in Barbaria, ab iis ut cognatis & proveniſſe & appellatos eſſe putàndum eſt. Nam quis neget antiquiſſimis temporibus jam tum navibus in eas partes vehi potuiſſe eòque colonias deduxiſſe? licèt forte & aliis viis homines in eam mundi partem venerint. Tales autem migrationes & ductu divino factas eſſe & memoriam originis obliteratam eſſe, tot gentium Europæarum teſtatur experientia. Sine Scripturarum lumine eſſet, nihil iſtorum aut parum ſciremus. Videtur autem fabula de inſula Athlantide, quæ extat apud Platonem, quam olim fuiſſe & mari abſorptam putaverunt, teſtari antiquam Americanæ navigationis, poſteris non repetitæ, memoriam. Vnum adhuc moneo, non opus fuiſſe, ut Scriptura opes Gogitarum Africanas & Indicas & Americanas per indicem & catalogum exponeret: ſatis fuiſſe ſi in parte totum notaret. Nobis illa ſcribebantur, quibus nota ſunt abundè in partibus iſtis Gogi auxilia.

VERSV 6. adjicit *Gomer & Togarma*, fortaſſe Cimbros & Germanos *& Latera Aquilonis*, ultimæ expeditionis tempore cum Gogo amicitiam culturos & ejus conatus adjuturos. Alii per Gomer Galliam, Italiam, vel Germaniam per Togarma intelligerent; & Latera Aquilonis Auſtrios eiſque annexos populos à Septentrione Italiam reſpicientes quiſquam forte exaudiret. Vtcunque ſit, iſtos populos his vocibus deſignari, tum res geſta, tum limites, tum diſtincta ab his aliorum populorum nomina evincunt. Alibi Iavan, Græcia; alibi Cuſch in Africa, alibi Paras, Chàſdim, Madai, Elam,

Elam, Saba, Dedan in Aſia; alibi Tarſis in Aſia minore: Gomer & Togarma in noſtra Europa ſunt. De quo inter omnes convenit. Magnum ſphalma eſt Authorum, qui, ubi reliquias nominum inveniunt, ibi ſtatim gentes illas ponunt. Omnes ex Aſia progreſſi ſunt, omnium in Aſia eſſe memoria poteſt, non tamen Aſia & quidem una Aſia minor omnium ſedes eſt. Præterea notandum, Gomerum eſſe patrem Thogarmæ. Togarma igitur eſt gens à cæteris Gomeritis propagine ſua profecta, propriamque adepta nomenclaturam. Sed ne in neceſſitatem mathematicarum demonſtrationum incidamus, teneamus, ſatis eſſe, ſi commigrationis & propagationis veriſimilitudo, aliarum gentium certa diſtinctio, & rei geſtæ evidentia nobis eas gentes indicet, quas Scriptura tum indicavit, quum multa illarum nomina necdum extarent. Sed de lateribus Aquilonis vide & cap. XXXIX. ℣. 15.

VERSU 7. Prædicit Gogi ipſius ἑτοιμασίαν & confirmationem, ſuique præparationem, aliorumque ad opus ſuum inductionem & excitationem: his verbis: *Eſto paratus & præpara tibi.* Item totius regni congregationem ad ipſum, tanquam ad verum caput, quod ipſis ſit obſervationi: quemadmodum milites circa regem excubare ſolent. Quale quid dicitur in Cantico cap. III. ℣. 7. 8. de fortibus Eccleſiæ excubantibus circa Chriſtum, Salomonem ſpiritualem. מִשְׁמֶרֶת eſt cuſtodia Levitarum & Sacerdotum, ut ſanctuarium non violaretur, omniaque ordine in eo fierent. Fuit igitur illis Sanctuarium Dei לְמִשְׁמָר *in obſervantiam.* Verba Ezechielis: *Panegyris tua, qui congregantur ad te, & quibus factus es in obſervationem.* Obiter innuitur 1. arctiſſima Pontificiorum unio inter ipſos. 2. receptio Papæ in caput, ut ad quem & in quo uniuntur. 3. perfecta ſeparatio ab Eccleſia Chriſti reformata. Nam dum uniuntur ad illum; ſeparantur ab illis, qui uniuntur ad Chriſtum. 4. Hierarchia Papæ ſubordinata. *Panegyris* TUA. 5. fedus pro ejus auctoritate & majeſtate. Tibi ſacramento dicunt tanquam milites pro tua ſalute excubias acturi. Hæc eadem



VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

dem quid notabile in Antiocho ſignificare poſſint, & ad quid iſta pompa verborum in illo adhibeatur, non video. Aliter & expreſſiùs aptiuſquè eum deſcribit Daniel. cap. XI.

VERSV 8. *Poſt dies multos deſideraberis.* Phraſis eadem Eſa. XXIV. ℣. 22 Ierem. XXIII. ℣. 4. Eſt enim הִפָּקֵד *viſitari* aliquando idem, quod citari tanquam abſentem & ad nomen non reſpondere. h. e: *ἄφαντον γενέσθαι καὶ ἀνύπαρκτον*, non extare, non inveniri. quod Pſal. X. 15. *& malum*, ubi *requiſiveris improbitatem ejus non invenies.* Prædicit hic Ezechiel Gogo abolitiônem poſt multos dies. Ita indicatur. 1 fore regnum longiſſimæ durationis. Non ita in Antiocho. Brevis illius furor fuit. 2 certiſſimum finem habiturum. Miſeri Papiſtæ dum patiuntur ſibi perſuaderi, Antichriſtum per tres annos & dimidium regnaturum, obfirmantur in ſua cæcitate, ut Gogum non videant. Qui facile poterant per comparationem aliarum prophetiæ partium intelligere 1. tres annos & dimidium non eſſe tempus totum Antichriſti, ſed tantum tempus oppreſſionis ſanctorum per Antichriſtum, quo dabuntur in manum ejus. 2 non neceſſario tres annos & dimidium proprie capi, pro tot Solis per cardines ſuos converſionibus; ſed poſſe etiam ſingulos dies pro annis venire. Et 3 quia hoc in prophetia illa ambiguum eſt, utrum anni dierum naturalium, an anni annorum intelligendi ſint, determinandum eſſe hoc tempus aliunde: nimirum ex ipſa re ſubſtratâ, de qua agitur, ejuſque natura & implemento, tum etiam ex menſura temporis alibi deſignatâ. Quale eſt quod mille anni Apocal. c. XX definiti continentur in mille ducentis ſexaginta diebus, qui cap. XI. & XIII. notantur; quod ipſa res probat. Huc igitur & Ezechiel facit, attribuens Gogo *dies multos*, non paucos annos.

Quòd dicit, *deſideratum* ſive non inventum *iri*, conſentit cum prophetia Eſaiæ cap. XI. ℣. 4. *Spiritu oris ſui interficiet improbum.* Nota, In ſcripturis vocari *improbos* non eos tantùm, qui ſceleratè viventes ipſo hominum mundanorum judicio digni ſunt morte, ſed omnes, quotquot non ſubjiciuntur juſtitiæ Dei. Qui cùm

non

non ſint juſti coram Deo, neceſſe eſt eſſe injuſtos & damnatos, licet illi externis operibus videantur eſſe ſancti. Hoc exemplo omnes Iudæi & Phariſæi ſecundùm converſationem externam inculpati & juſtitiæ Dei ſe non ſubjicientes *improbi*, injuſti & damnati ſunt & vocantur. Maximè verò illi vocantur *Improbi*, qui docent *improbitatem* ſive tradunt propriam juſtitiam, quæ eſt damnabilis coram Deo. In ſingulari autem *Improbus*, ὁ Ἄνομος, eſt ſummus τῆς ἀνομίας προφήτης, doctor & traditor improbitatis. *Interfectio Improbi* notat ejus convictionem per verbum Dei, quòd ille non ſit vivus, ſed ſpiritu vitæ Chriſti, qui eſt juſtorum, careat. Hujus generis eſt *ſepultura* (de qua cap. XXXIX. Ezechiel) quæ eſt judicium Eccleſiæ, quo Improbus ponitur inter mortuos. Interfectioni adjungit Apoſtolus Paulus 2 Theſſ. II. ℣.8. ἀνάλωσιν & καταργησιν *conſumtionem* & *abolitionem*. Si Apocalypſin ſcruteris, reperies, Antichriſti caſum non unum eſſe. Nam cap. IX. ℣. 1. mentio eſt *Sideris cadentis ex cælo in terram; cui data eſt Clavis abyſſi.* quo ſignificatur abrogatio poteſtatis, quam habuerat ſive habere viſus erat Papa in Eccleſiam veram, in qua hactenus habitus fuerat pro vero Epiſcopo: cui cùm nuncium miſit Eccleſia & ab eo diſceſſit, retinuit ille claves abyſſi; quas ille venditat pro clavibus cælorum. Ad hunc caſum pertinet & Apoc. c. XIV. ℣. 8. & Apoc. c. XVIII. ℣. 2. *Babylon cecidit & facta eſt habitaculum dæmoniorum.* Eccleſiâ enim ab ejus communione liberatâ, quid reſtat, cur non ſit habitaculum dæmonum, ubi regnat doctrina dæmoniorum, & ita quidem, ut habeatur pro fundamento in oppoſitione & cum damnatione veritatis? Eſt & alius caſus Babylonis poſt liberationem Eccleſiæ à captivitate ejus, denunciatus Apoc. XVIII. ℣. 21. *Sic impetu conjicietur Babylon, civitas illa magna, & non invenietur amplius.* Hoc eſt reverà τὸ הִפָּקֵד *deſiderari.*

Porrò Ezechiel diſtinctè oſtendit, quibus modis Gog ſit ad finem ſuum perventurus, & quo medio? nimirum per expeditionem ſuam contra Eccleſiam; ſive per conatum exſcindendi Eccleſiam reformatam. Ibi docet,

quando id futurum ſit? in fine annorum. Verba hæc ſunt: *In extremo annorum venies in terram reductam à gladio* &c. Quemadmodum Eſai. LXIII. ℣. 4. dicitur *Annus redemtorum meorum venit*; & antea cap. LXI. ℣. 2. *Annus gratiæ*, quo notatur temporum quædam mutatio vel ſimilitudine anni vertentis, vel ex etymologia nominis Hebræi שָׁנָה quod temporis converſionem notat: Ita hîc per *annos* intelliguntur optimè periodi temporis & ſtatus Eccleſiæ Novi Teſtamenti, quæ in Apocalypſi ſeptem definitæ ſunt. Sanè Apocalypſis *Equos* & *Equites*, qui ſunt Gogi exercitus, producit ſolutos ad bellum faciendum ſub ſexta Tuba cap. IX. itemque congregat reges terræ in prælium diei magnæ Dei ſub phiala ſexta, cap. XVI. ℣. 16. Sed & Ezechiel *annos* variæ gubernationis Eccleſiæ mox recenſebit.

Expeditio Gogi deſcribitur per *Ingreſſum terræ* ſive Acceſſum ad terram, h. e. Eccleſiam quandam; quæ non nominatur, ſed definitur, & per hieroglyphicon indigitatur. 1. *Ad terram reductam à gladio*. 2. *collectam ex populis multis*. 3. *ad montes Iſraëlis*. 4. *Qui fuerunt in vaſtitatem ſemper*. 5. Terram, *quæ ex populis educta eſt*. 6. *Qui habitant ſecurè omnes*. In his verbis eſt deſcriptio Eccleſiæ Chriſtianæ 1. ab exantlatis perſecutionibus priſcis gentilium, & noviſſimis Papæ circa initia reformationis. 2. ab ejus vocatione in multis gentibus per prædicationem Euangelii ad unitatem fidei. 3. à conteſſeratione cum populo Iſraëlitico; ſive ipſa terra hæc aut territorium hoc dicatur *montes Iſraëlis* per appoſitionem, ut nomenclaturâ *Iſraëlis* oſtendatur eſſe ſemen promiſſionis, & appellatione *montium* multi populi, hoc eſt electi ex multis populis, & in variis regnis cœtus particulares agentes in hanc ſpiritualem politian adunati intelligantur; ſive Terra hæc dicatur *collecta ad montes Iſraelis* & in ſpiritu ex mundo ad montes Iſraëlis *tranſiviſſe* ad habitandum in iis. 4. à perpetua & diuturna vaſtitate per Hæreticos, per Antichriſtum procurata. 5. à ſeparatione à *populis* per reformationem. *Populi* pluraliter & *Gentes* in Scripturis idem ſonat. Vbi enim ſunt *populi*, ibi diverſitas eſt &

dis-

disjunctio & diſſociatio. Sed in regno Dei *unus populus* & verè *populus* Deum regem habens, & verè *unus* ſociatus in Chriſto per ſpiritum: Extra verò nec *populus* eſt nec *unus* populus; quia non eſt unus rex & unus ſpiritus. Licèt igitur Gog in ſpeciem habeat קָהָל panegyrin & comitium quaſi unius populi, tamen non eſt in *populo*, neque *populus* ipſius eſt, ſed, qui ipſi parent, ſunt *populi* h. e. gentes *ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ, ſine Deo in mundo.* 6 à pacifica in cœtibus ſuis *ſeſſione* coram Deo ſcilicet, ad accipiendam veritatem ex ore ipſius (Eſ. XXIII. ℣. 17.) & mutuam ædificationem. Ex his facillimum eſt colligere *annos* Eccleſiæ uſque ad *annum* caſtigationis per Gogum. 1. Experitur gladium Iudæorum & gentium. ita deinde Gogi. 2. Reducitur à gladio & per vocationem Euangelicam liberè colligitur ex populis multis ad montes Iſraëlis, fidem Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, & Canonem Iſraëlis, ad quem venit Chriſtus: atque adeò habet ſimiliter montes in quibus habitat. 3. montes illius ſunt longæ vaſtationi obnoxii. 4. educitur ex populis h. e. è medio deficientium à Chriſto & populo Chriſti. 5. Tranquillitatem, poſt eductionem, experitur & pacem. Hæ ſunt notæ Eccleſiæ ejus, contra quam Gog expeditionem molitur.

VERSV 9. Modus expeditionis & progreſſus ſive ſucceſſus indicatur. Modus: *Vt turbo venies.* Expeditio erit inexpectata & improviſa omnibus opprimendis propter diſſimulationem cauſæ & intentionis. Succeſſus. *Vt nubes ad tegendum terram eris.* Phraſis Hebraica. Senſus: Terram obteges ut nubes. hoc eſt, Parum aberit, quin totam Eccleſiam ſub umbraculum tuum & poteſtatem ſis redacturus, ut rurſus fiat terra *Magog* ſive *Contecti.* Confer Eſa. XXIII. ℣. 15. 16. 17. ubi ſub nomine Tyri (quæ olim gentium metropolis fuit, prope admota ad Deum Iſraëlis, famoſiſſimum emporium) Eccleſia *Contecta* ſive Magogica, *cujus inſtitores ſunt Principes terræ* (quæ verba ex iſto capite mutuatur Apocalypſis) jubetur circuire cum cithara & canere carmen meretricium, h. e. idololatricum in honorem novo-

rum divorum Ignatii, Franciſci Xaverii & aliorum, & prædicitur, eam reverſuram ad quæſtus ſuos, & cum ea ſcortaturos omnes reges terræ. &c. Item Zachar. XIV. ℣. 1, 2. ubi urbs ſancta capienda, ædes diruendæ prænunciantur, &c. quæ de Eccleſia reformata eſſe intelligenda, ipſum filum prophetiæ probat.

VERSU 10. explicatur conſilium Antichriſti & ſpes concepta de abſolutione felici conatus ſui, & recuperatione priſtinæ poteſtatis. Nam VERSU 11. & 12. ſignificatur, ſuperfuturas quaſdam partes Eccleſiæ partim nulla potentia humana ſufficienti tanquam *muro* circumvallatas; de quibus diripiendis & poſtliminio ſub poteſtatem redigendis cogitaturus ſit, poſtquam *vaſta loca habitata* fuerint per populum Dei *collectum ex gentibus* ignorantibus Deum, *facientem pecuaria* multarum ovium & *acquiſitionem* magnæ copiæ & *habitantes in umbilico terræ*, quaſi in medio tum Eccleſiæ Chriſtianæ Euangelicæ inter ortum & occaſum, tum totius Europæ medio litore inter Septentriones & Meridiem, unde facillimo negocio ad reliquas gentes ſonus Euangelii pervenire poſſit, vel etiam dominatio. Papæ in totam Eccleſiam Euangelicam reduci poſſe videatur. imprimis illo ſtatu rerum, quem prophetia hîc indigitat. Notum eſt, contra quos obtentu rebellionis jam pridem bellum gerat rex Hiſpaniæ Gogi miniſter è primis, ut eos redigat in poteſtatem. Apparent etiam cogitationes conceptæ de vicinis regnis ad priſtinam obedientiam revocandis. In apricum prolata ſunt conſilia doloſæ reunionis.

Gog igitur, quum ei datum fuerit colligere cætum ſuum, eoſque, qui ſecum faciunt, in leges ſuas ſacramento adigere, fierique ipſis regem aut Deum, quem obſervent & reſpiciant; quum ei datum fuerit exire, & aſcendere, & inſtar turbinis invadere terram eductam è medio populorum, quibus ipſe dominatur; itemque tanquam nubem eam contegere & dominationem ſuam in partibus Eccleſiæ Reformatæ Euangelicæ, videlicet in Palatinatu, Bohemia, Moravia aliiſque regionibus reſtituere, cogitabit ſe eadem facilitate id in reliquis partibus effecturum, ut in Britannia & Belgio,

gio, & tandem devicta Eccleſia Euangelica triumphaturum. Cogitabit enim eos non habere murum aut valvas aut vectes. Quippe non animadvertet tantam potentiam in iſtis partibus, quæ viribus ipſius ſit *ἰσόῤῥοπος æqualis*, & ei poſſit reſiſtere, vel etiam animos paratos ad pugnandum pro gloria Dei. Nam Deum eſſe *murum* ipſorum planè negabit. videbit enim terram ingentem ſibi traditam in manum, &, protectores ejus debellatos. Quòd ſi Deus murus ipſis eſſet, id neutiquam futurum fuiſſe argumentabitur. Nam quomodo cogitaret Magdeburgum aliaſque civitates tam horribiliter potuiſſe exſcindi & nihilominus eſſe in eis Eccleſiam Dei & filios ipſius, & Deum eſſe murum earum?

VERSU 13. Eſt interrogatio aliorum populorum, qui ſubſunt Gogo, de ſcopo adventus ipſius.

Verba. *Scheba & Dedan & negociatores Tarſis & omnes juvenes Leones ejus dicent tibi. An ad agendum ſpolia tu veniſti?* &c. Illi interrogationi nulla ſubjicitur reſponſio ipſius Gogi, ſed annectitur mandatum Dei ad Prophetam his verbis: *Propterea vaticinare.* Vnde apparet, hanc interrogationem nihil eſſe aliud quàm increpationem & exprobrationem. Indicatur, futuros homines extra regnum Gogi, imo integros populos & regna, quæ damnatura ſint hanc Papæ expeditionem & affectationem imperii in totam Eccleſiam, tanquam injuſtam & minimè convenientem cum profeſſione ejus & jactatione ſcopi adventûs ſui. Quaſi dicant: Tu, qui olim dicebas, te veniſſe ad ædificandum & ad propagandum regnum Chriſti, ad oves & pecuaria educandum eaſque omni abundantia ditandum; cujus ſcopi aſſequendi medium & inſtrumentum eſt verbum & demonſtratio ſpiritus: itane nunc oblitus es profeſſionis tuæ, & oſtendis, te veniſſe ad faciendam prædam & ad redemtos Chriſti captivandum, Eſ. XLIX. ỳ. 24. 25. & ad gregem Chriſti diripiendum, ad auferendum *argentum & aurum*, h. e. probitatem & fidem ab hominibus, & Deum ipſum, qui eſt *aurum* fidelium, id eſt, ſummum ipſorum bonum, eripiendum? Hæc interrogatio ſive increpatio Hypocriſeos attribuitur hominibus alienis & longè diſſitis, quales ſunt

Tur-

Turcæ, Saraceni (illi ſunt *Leunculi Tarſis,* hi *Sabæi* ſive Arabes ) item *quæſtum facientibus in Tarſis.* Hi intelligi poſſunt Chriſtiani, qui in regnis illis talentum ſuum fœnori exponunt. Vocabulum *Tarſis* ob magna argumenta Aſiæ minori vindicandum eſt, marique mediterraneo & circumſitis regionibus. Qui ibi imperium tenent, indeque progreſſi ſunt, iis Sabæi & Dedanæi ſubjecti ſunt, à quibus eſt autor religionis iſtorum omnium Muhammed. Quum igitur hæ gentes ſint illæ, quæ exprobrantes hypocriſin interrogant Gogum eumque ſubſannant: fieri nullo modo poteſt, ut indidem progreſſus Gog, iſque Antiochus eſſe dicatur; niſi magna abſurditate inſuper Tarſis, Magog, Meſech, Tubal, Seba, Dedan & omnia in unum velimus conflare. Summa igitur ſententiæ huc redit: Quia Gogi tanta eſt impudentia & tam impia intentio, & tam parum conſentiens cum externa profeſſione de fine miniſterii ſui, dum pro doctore veritatis fit belligerator, pro paſtore Eccleſiæ fit turbator ædificationis ſatis bene per verbum Dei & gratiam ſpiritus proficientis; pro ſervo Dei gerit ſe ut regem mundi; pro legato Dei, adducendis ovibus miſſo, facit ea, quæ ſunt hoſtis Chriſti, oves Chriſti cogens fieri oves ſuas imo ſubditos ſuos: (Quid enim? Non ſufficit iſti hypocritæ, ut timeamus Deum & credamus in Chriſtum Servatorem & fidei fructibus fidem probemus, niſi & profiteamur, nos ex Scriptura per Spiritus Chriſti gratiam non potuiſſe diſcere veritatem & fidem & timorem Dei ſine ipſo doctore, imò non doctore ſed legiſlatore, denique ſine ipſius nomine? Paulus Apoſtolus non ſuperextendebat Canonem ſuum in promta ad gloriandum 2 Corinth. x. ℣. 13, 14, 16. & an nobis non licebit credere in Deum ſine iſto? & propterea ſumus exterminandi, quia Canon Papæ non pervenit ad nos, ſed priùs credidimus, quàm ſciremus, ſitne Papa Romæ annon; ſitne vera ſucceſſio in throno Romano per ſchiſmaticos, hæreticos, impios, ſcorta, ſcortatores, beſtias, annon?) Quia igitur, inquam, tanta eſt Gogi impudentia, ut totus mundus, & ipſi hoſtes veritatis hanc impietatem cogantur damnare, & ipſis ſit ſcandalo, ne à ſuis corruptelis & hære-

ſibus,

ſibus, quibus illaqueati ſunt, offenſi ipſius idololatria & tyrannide, reſipiſcant, & à veritate quæ apud Gogi cœtum reliqua eſt, fiant alieniores: Propter hanc cauſam, quia hoc redundat ad blaſphemiam veritatis illius, quam aliâs Gog contra hæreticos, Sarracenos, Turcas, tuetur; quia offendiculum eſt illis miſeris & propagationi regni Dei obſtat; quia ita hypocriſis ipſius in apertam impudentiam eamque inexcuſabilem vertit: jubet Prophetam vaticinari contra illum, & ei explicare conſilium Dei de ipſo, Sed quid? Putabimuſne, Ezechielem hoc officio ſic functum eſſe, ut tantùm per ænigmata Gogum alloqueretur? Nonne hoc potiùs Deus indicat, fore, qui & ſecundùm alias Scripturas & ſecundùm hanc ipſam Ezechielis prophetiam Dei conſilium ipſi ob oculos ponant? Imò annon putabimus hoc ipſo verbo mandatum eſſe piis verbi Dei miniſtris & interpretibus, ut clara voce, quum Gogum deprehenderint, indicent ipſi quid Deus per Ezechielem de ipſo ſit locutus? Atqui, inquis, falli tu potes, qui non habes ſpiritum propheticum. Reſpondeo. Quemadmodum tota Scriptura, ita prophetia non noſtra privata reſolutione ſed ipſius Scripturæ collatione explicanda eſt. neque id quæritur, quid ego ſpiritu prophetico intelligam, & habeamne ſpiritum prophetiæ, necne; ſed quid ex Scripturis probem ad conſcientiam tuam & omnis hominis. Iam verò, quod ad rem ipſam attinet, in hoc cardine omnis cauſa verſatur, Quis ſit Iſraël Dei? quod ex Scripturis patere poteſt, aut ne hoc quidem, quis ſit caput ejus, ex illa patere poteſt. Deinde cujus generis ſint actiones illæ, quas facit Papa & cœtus ejus, & annon illis ſimiles, quales hîc Gogo attribuuntur? Tertiò an ſecundùm omnes circumſtantias rectè & tutò definiatur, eas ipſas in hypotheſi, &, ut ſolemus dicere, numero eaſdem eſſe cum iis, quæ hîc indigitantur; an hoc vel illud tempus ſit prædictarum actionum & judiciorum, tum quantum ejus prophetiæ, ſi in hoc ſubjectum competat, præteritum ſit, quantum futurum ſuperſit. In hoc ultimo poteſt quis falli, qui non habet ſpiritum prophetiæ. in totum tamen non, qui, primò, maximam par-

partem implementi vidit & attigit; ſecundò prophetias unanimiter de temporibus temporumque qualitatibus concinentes allegare poteſt (ſolent enim diverſæ prophetiæ & eaſdem circumſtantias confirmare & diverſas exprimere ad ampliorem illuſtrationem) &, tertiò, de futuri temporis modo ac qualitatibus non temere id definit, aut determinat circumſtantiis, quod prophetia in latitudine aliqua ante rem geſtam involvit. Hac ſobrietate adhibita æquè tutæ & utiles ſunt prophetiarum ac dogmatum interpretàtiones. imò religionis Chriſtianæ dogmata in prophetiis unicè fundantur & ſine eis corroborari non poſſunt.

Conſilium Dei de Gogo, quod ipſi per prophetam antequam exiſteret, deſcribi & prophetiam in Eccleſia conſervandam & ſuo tempore explicandam proponi jubet, eſt hoc: Quòd Deus ipſum hucuſque provexerit, ut *coram oculis gentium*, coram quibus manifeſtata fuerit illius impietas, *ſanctificetur Deus in ipſo*. Versv. 14. 15. 16. Lege, quæſo, qui hæc leges, iterum iſtorum verſuum verba & perpende. Nimis tenuiter τὸ *Sanctificari Deum in illo* explicat Quidam per *Præſcius omnium probabor*. Eſt ſanè excellentia Dei prænoſſe omnia: ſed non de eo agitur. Verùm Deus vult oſtendere ſanctitatem ſuam, h.e. quod oderit omnem hypocriſin & omnes hypocritas, quales ſunt qui ſuam claudicationem, quam vocant ipſi ſanctitatem, & ſuperſtitionem, quam vocant religionem, pro perfecta imò pluſquàm perfecta juſtitia venditant, & ſub nomine Chriſti quærunt regnum ſuum & imperium in totum mundum. Eſt autem Gog planè ſimilis Pharaoni hac in parte, quòd ei verbo & nomine Dei denunciatur, quid Deus de ipſo decreverit facere, & quòd tamen cor illius hac re non emollitur ut agat pœnitentiam, ſed magis induratur. Vide Exod. IX. ℣. 15. 16. *Nam ſi porrigerem manum meam & percuterem te & populum tuum peſtilentia, utique exterminareris à terra. Sed propter hoc ſtare te feci, ut tibi monſtrarem vim meam, & ut narretur nomen meum in omni terra.* Hoc propterea indicandum fuit, quia ſunt multi, qui, quum animadvertant eſſe in iſta parte tot homines egregios, ſapientes,

tes, doctos, peritos, ſagaces, qui hæc irrident, incipiunt dubitare de Verbi Dei claris expoſitionibus, quæ ab humilibus & ſuæ ſapientiæ non multum tribuentibus proficiſcuntur. qui cogitare debent, Deo eſſe abominabile quicquid eſt altum inter homines, capere ſapientes in verſutia ſua & humilibus ac contemtis aperire arcana ſua, quæ ſapientes hujus ſeculi celat.

Adhæc VERSV 17. Verba Dei proponuntur directa ad Gogum, *An tu is es, de quo locutus ſum priſcis diebus per ſervos meos?* &c. Deus hîc loquitur non ut in tempore prædictionis ſed ut in tempore complementi ſive eventûs. Neque tamen exiſtimet quis, Deum ambigere, quis ſit Gog, ut habeat neceſſe de cœlo deſcendere & Gogum examinare, ſitne ille, de quo ipſe fuerat locutus. Deus ſuo tempore alloquetur ipſum per fideles ſuos & ori ipſorum indet verba, quibus, licet ſtupentes & admirantes, teſtentur ſe deprehendiſſe illum eſſe Gogum, quem putarant eſſe alium. Quid enim? Si quis, putans Gogum eſſe Antiochum vel Turcam, deprehendat, Gogum eſſe Papam, nonne admirans dicet: Hiccine eſt ille, de quo Deus locutus eſt; de quo ego nihil tale fueram ſuſpicatus! Hoc igitur vult prophetia, Deum aperturum oculos fidelibus, ut, quamuis aliter exiſtimaverint, tamen deprehendant Gogum ſive Antichriſtum; & inditurum parrheſiam animis ipſorum, ut hoc ei in os dicere audeant. atque ita ipſum eſſe dicturum, quod pios ſuos aliquando faciet dicere, Præbetur nobis his verbis regula & Canon, ex quo Gog deprehendendus, convincendus, judicandus ſit. nim. *Prophetarum* dicta, *qui prophetarunt in diebus illis, annis*, h. e. omnibus periodis divinæ Oeconomiæ. Non unus Ezechiel, non uno tempore unus de illo magno hoſte Iſraëlis locutus eſt, quemadmodum de Antiocho non uſque adeò multæ prophetiæ ex profeſſo agunt; ſed idem hic eſt, qui in omnibus prophetiis de regno Chriſti agentibus ut præcipuus Chriſti adverſarius notatur. Habemus regulam judicandi de ipſo. Vis judicem? Deus ipſe is eſt, per os fidelium idem loquentium, quod Prophetia locuta eſt, & eas ad ſuum hominem applicantium eum condemnans.



Digitized by Google

Ad Versvm 15. notari velim, dici, quod *Venturus* ſit *è loco ſuo, à lateribus Aquilonis.* Poteſt hoc ita intelligi, ut *locus* illius ſit *latera Aquilonis* & ex eo loco ſit progreſſurus verſus meridiem, videlicet in montes Iſraëlis ad meridiem ſitos. Hoc, fateor, in Antiochum quadraret, & poſtea in Romanos. Et verò à Septentrione Iſraëlitis pleraque mala incubuerunt. Sed admittit Prophetia hæc etiam aliam expoſitionem duplicem. Primò per ἀσύνδετον; *à loco tuo & à lateribus Septentrionis.* Secundò; *è loco tuo à partibus ſeptentrionis.* h. e. à latere Septentrionali loci tui, ut expeditionem egrediendo verſus Septentrionem ſuſcipiat. Et duæ hæ expoſitiones conveniunt Gogo noſtro ad amuſſim. Præſupponitur habere Gogum locum ſeparatum à montibus Iſraëlis, & locum Gogi eſſe meridionalem, locum Iſraëlis Septentrionalem. Egreſſurum verò à parte loci ſui Boreali contra Iſraëlem. Ita factum. Ex Auſtria, Stiria, Carinthia, &c. in Bohemiam, in Germaniam, in Cimbriam uſque penetratum eſt. Auſtriam, Stiriam Carinthiam, cæteramque Sclavoniam Latera Aquilonaria in comparatione Metropoleos Gogi, quæ in Italia eſt, optimè appellari in deſcriptione regni ejus, ſupra jam dictum eſt. Et hinc bellum Gogicum præcipuè ortum eſt. Sed & ſimiliter è Flandria, Brabantia, à Meridie verſus Aquilonem in Belgium federatum itur. Ab Hiſpania in Angliam machinationes tendunt. Viciſſim, quum penetratum eſſet in Cimbriam uſque, inde reditum eſt ad operiendam Germaniam, immiſſo exercitu in omnes partes & edictoCæſareo emiſſo de reſtituendis Pontificiis in bona ipſis olim ademta, anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono. Sin omninò quis velit locum Gogi facere Latera Septentrionis, verum ſanè eſt, Sedem Antichriſti eſſe Septentrionaliora totius mundi: Europam ſcilicet pleramque. neque neceſſe eſt eum ita educere, ut veniat in Notia mundi. Satis, in ipſo illo Septentrione Gogi locum à montibus Iſraëlis ſeparatum eſſe, & ex omnibus partibus in illos aſcendere. quemadmodum Apocalypſis cap. xx. ℣. 8. gentes, quæ Gog & Magog appellantur, dicuntur eſſe in quatuor angulis terræ, h. e. terram Eccleſiæ undique circum

cumvallare. Et verò eos, qui vel Gogo ſubjecti ſunt vel cum illo conteſſerationem aliquam habent, undique Eccleſiam reformatam cingere & ex omnibus partibus ei incubuiſſe, ſi quis conſideret, evidens eſt. Sapienti ſatis dictum eſt. Sed quemadmodum apertiſſimum eſt, Gogum ipſum maximè habere locum versùs meridiem Eccleſiæ Euangelicæ & ſic eum à Septentrionalibus ſedis ſuæ partibus procedere: ita Gogo ab Oriente, ratione invaſionis & aggreſſionis, flagellum eſſe expectandum videtur. Vide Apoc. XVI. ℣. 12. Hoſ. XIII. ℣. 15. ambiguæ ſeu potiùs non penitus definitæ prophetiarum circumſtantiæ Eventu interprete determinantur. Hæc enim eſt natura ænigmatum.

VERSU 18. incipit agere de coërcitione & pœna Gogi, ſive quomodo Deus ſe ſanctificaturus ſit in ipſo. Primò ſignificat, ſtatim atque aſcenſurus ſit, iram Dei commotum iri. *Die, quo veniet Gog contra terram Iſraëlis, aſcendet ardor meus in naſum meum.* Non diu Deus ipſi frenos laxabit, neque ſine difficultate erit, ut fiat tanquam nubes ad operiendum terram. Ira Dei per gradus amplificatur hoc verſu & initio ſequentis. *Ardor, zelus, ignis excandeſcentia.* Proverb. XXVII. ℣. 4. *Immanitas eſt ardor, & diluvium ira; & quis ſtabit contra zelum? Zelum*, inquam, qui eſt ardor ad vindicandum id quod chariſſimum eſt, & ulciſcendum illum, qui ei, quod chariſſimum eſt, peſtem & deſtructionem minatur. Nihil charius Deo eſt honore ſuo; de quo agitur controverſia cum Gogo. Nihil charius Eccleſia, in qua & honor Dei periclitatur. Hæc eſt igitur illa dies *iræ agni*, de qua legere eſt Apoc. VI. ℣. 17. & cap. XI. ℣. 18. Hæc *dies illa magna Dei omnipotentis.* Apoc. XVI. ℣. 14. Vide etiam Eſ. LXVI. ℣. 15. 16.

VERSU 19. Effectus iræ Dei eſt primò Terræ motus in terra Iſraël. *Si non illo die erit terræ motus magnus in terra Iſraël.* Idem σεισμὸς ſive terræmotus notatur Apoc. VI. ℣. 12. 16. 18. Significatur bellum ingens & concuſſio multorum regnorum, ipſorumque montium Iſraëlis, h. e. populorum, in quibus Eccleſia Reformata Euangelica eſt. Eſt hæc pars judicii Gogi, quòd pacatam & tranquillam Eccleſiam, ut erat, non

poterit opprimere, ſed cogitur magnos terræ motus experiri & in iis periclitari.

Versu 20. Magnitudo Terræ motûs indicatur ab amplitudine & conſequentibus. *Commovebuntur à facie mea piſces maris & volucres cæli & feræ agri, & reptile, & homo.* Figuratè notantur omnis generis homines, populi, gentes. Non opus eſt fingere piſces fugientes ad claſſium ſtrepitum, aves ad clamorem concurrentium exercituum cadentes, vermes & feras ſeſe ad tumultum hominum occultantes (quanquam ſi voluiſſet Propheta τραγῳδεῖν, non deforet tales ampullas projiciendi occaſio in hoc terræ motu) ſimplicius eſt, quod res ipſa dictat, accipere in allegoria terræ motus concuſſionem univerſalem omnium hominum & ferè totius mundi. Prophetia ubi prænunciat converſionem gentium ad Chriſtum & præparationem, quæ erat anteceſſura, dicit Hag. II. ℣. 7. *Se paullo poſt concuſſurum cœlum & terram, mare & aridam: &* tum *commoturum gentes ut accedant* ad *deſiderium omnium gentium* Chriſtum. Notat prophetia mutationem ſtatus omnium regnorum & abolitionem ipſius formæ vocationis & adminiſtrationis externæ in Eccleſia. Sub Haggæo Perſæ imperabant. Ex illo tempore quanta rerum converſio fuit, ut omnia redigerentur ſub imperium Romanorum, ipſe quoque populus Iudaicus! Imprimis politia Iudæorum & templum & principes ſeculi hujus magno tumultu abolenda erant, ut regnum Chriſti fixum & manſurum fundaretur. Vide Hebr. XII. ℣. 26. 27. Si quis omnino diſtributionem, quæ eſt in allegoria, velit transferri ad rem, diſtribuat mundum in tres partes, velut mare, aërem & terram. Inveniet huic quidem in prophetica metaphora reſpondere Eccleſiam vocatorum per verbum Dei: Mari autem homines extra Eccleſiam; Aëri autem vel volucribus eos, qui medii ſunt, qui partim nidulantur in terra, partim volitant ſupra terram & maria, & in vanitate μετεωρίζονται *efferuntur.* Sanè alicubi neceſſaria eſt talis figuratæ locutionis accurata per ſuum analogum explicatio: veluti quum dicit: *Cœlum novum & terram novam creabit. Mare autem non erit amplius.* & in ſimilibus. Hoc loco non eſt neceſſe

ita

ita ἀκριβολογεῖν & ad minutias deſcendere. Generalis terræ motus erit. Nulla regna, nulli populi à bellis erunt immunes. Concutientur Pontificii, Euangelici, Reformati, omnes. *Homines* h. e. fideles, in quibus eſt imago Dei, exagitabuntur, palabuntur, diſjicientur per univerſum orbem. *Principes*, *vulgus hominum*, omnes ab imó ad ſummum diverſis modis commovebuntur. Qui in deliciis & æſtu hujus ſeculi natant; qui elatione ſua extolluntur, omnes exagitabuntur. Conſequens terræ motûs annectitur. *Evertentur montes, cadent faſtigia, omnis murus in terram cadet.* Regna, reges, urbes, potentia humana, omne genus deſtruentur. Simile Eſ. xxx. ℣. 25. *In die occidionis magna, quum cadent turres.* Et antea Eſa. 11. ℣. 12, &c. *Dies Domini exercituum ſuper omne præaltum & celſum, & ſuper omne elatum, & humiliabitur; ſuper omnes cedros Libani & quercus Baſan; montes altos, colles elatos; omnem turrim altam, murum arduum; naves oceani & ſpectacula amabilia*, &c.

VERSV 21. Effectus iræ alter. *Vocabo in montes omnes meos contra ipſum gladium.* Quum terræ motum videbitur ſuperaſſe & domeſticam reſiſtentiam, & jam ceciderint montes, faſtigia, muri in terra Iſraël, non tamen & ſic vincet. Nam in omnes montes meos contra ipſum vocabo gladium, externum ſcil. verbi cauſa, in Bohemiam, Sileſiam, Palatinatum, Germaniam, &c. Vbique externum gladium ipſi objiciam. Nullam partem montium meorum ſecurè obtinebit.

IBIDEM Tertius effectus. *Gladius fratris contra fratrem erit.* Socios, fratres, affines, qui ſunt de ſubditis ejus, atque ita in exercitu ejus, inter ipſos committam & faciam gravi bello confligere. ut Gallus contra Hiſpanum, Luſitanus contra eundem, Itali inter ſe, contra Papam. & ſi quid ſimile eſt.

VERSV 22. Quartus iræ effectus. *Et diſceptabo cum ipſo in peſtilentia & in ſanguine, & imbre inundante & grandine magna, igne, ſulfure.* Talia & Apocal. cap. XVI. ſub phiala ſeptima loquitur. Qualia nec eloqui poſſumus, neque indiget indigitatione: & necdum omnium dierum veſper venit.

Versu 23. Scopus hujus judicii & effectus quintus. *Magnificabo me & ſanctificabo me & cognoſcendum me præbebo ante oculos gentium multarum.* Deſtruendo deſtructores terræ & eripiendo Eccleſiam meam, tantùm non oppreſſam, nulliſque humanis viribus idoneis ſubnixam, oſtendam me, illum qui agnoſcor & celebror in Eccleſia mea, & *magnum* eſſe, majorem ſcilicet omnibus magnis, & *ſanctum*, h.e. vindicem omnis impietatis & injuſtitiæ veritatem in injuſtitia detinentium. Rom. 1. ℣. 18. Velum quod eſt impoſitum omnibus gentibus, tyrannidem, quæ abigit à veritatis foribus, tollam. Aperiam veritatem meam, reſerabo verbi mei arcana, librum apertum legendum dabo. Hæc maxima cauſa eſt, quare totus mundus ardeat hoc incendio. Deus non glorificatur, non ſanctificatur neque ab illis, quos dignatus eſt cognitione ſui, opere, ut oportebat, neque quærunt cognitionem Dei, ut par erat: & hoſtes ejus præconium magnitudinis Dei & ſanctitatis ejus per impietatem & injuſtitiam impediunt, ne poſſit progredi veritas & propagari. Se magnificant ut domini rerum, legiſlatores imperantes conſcientiis; ſe ſanctificant tanquam idonei cogitare & facere, quæ Deo placeant & coronam mereantur: denique verbo Dei compedes injiciunt, tenebras offundunt. Effectus quintus ſcopo Dei conveniens eſt hic: *Et cognoſcent, quod Ego ſim* Iehovah. Chriſtum filium Dei, ſolum regem Eccleſiæ, promiſſiones Dei illarumque implementa in gratia & veritate cognoſcent.

## Ad cap. XXXIX.

Superius caput compendioſiùs de Gogo & Eccleſia vaticinatur; ultimum verò conatum Gogi pleniùs explicat: exitum verò in ſummam colligit. Hoc caput quædam uberiùs deſcribit. I. providentiam Dei circa Gogum. uſque ad ℣. 6. II. Reformationem Eccleſiæ. à ℣. 6. uſque ad ℣. 17. III. Iudicium Gogi uſque ad ℣. 21. & IV. reſtitutionem Eccleſiæ ad judicii effectum, ad finem uſque capitis.

Versu 1. In indigitatione Adverſarii Dei, cui Deus ſe oppoſiturum minatur, hîc jam omittitur *Magog.* Nam

Nam territorium Gogi, quod eſt *Magog*, deſcribitur ſuis terminis, Meſech & Tubal. Interim denuò territorium illud nomine *Magog* inſignitur ℣. 6.

V ERSV 2. Prima pars capitis verſatur in diſtinguendis actibus providentiæ Dei circa Gogum tum in progreſſu, tum in dejectione. In progreſſu ſunt tres. Ii ſunt, primò, REDVCTIO. *Et reducam* vel, convertam *te.* ſcilicet ab idololatria Gentili, in qua natus es, ab hæreſibus noxiis, homines extra cœtum Chriſtum filium Dei profitentium ponentibus, quibus tentatus es, ad Profeſſionem Chriſtianæ Religionis. Gog enim Chriſtianus erit quoad profeſſionem. Vide & cap. XXXVIII. ℣. 4.

Secundò: וְשִׁשֵּׁאתִיךָ *& ſextabo te.* Bis reperitur hoc verbum, hîc & cap. XLIV. ℣. 13. Eſt per SEX dividere, à שִׁשָּׁה *ſex.* Hîc notatur Divina gubernatio in diſtribuenda menſura tenebrarum & errorum. Quaſi dicat, Converſum te & reductum (quoad profeſſionem, non verò quoad veritatem fidei, ſed mentientem mihi & regnum non cæli ſed mundi quærentem) efficacitate errorum puniam, ut quidem propter fundamentum defenſum maneas in Eccleſia, ſed fundamento inædifices lignum, fœnum, ſtipulas errorum. quos errores quidam pro fundamento tenentes, quidam etiam fundamento opponentes (quemadmodum revera plerique contra fundamentum tendunt) ab Eccleſia tandem diſcedant; poſtquam ea vel cum erroribus illis luctans vel profunditatem Satanæ in illis occultatam ignorans diu gravi jugo talium opinionum & communionis ac dominationis opiniones eas tenentium onerata fuerit, ut ab eo jugo communionis errorum & dominationis errantium per diſceſſionem illorum & damnationem veritatis liberetur. Spiritus propheticus numerum myſticum habet, quo Eccleſiam à Beſtia & Beſtiam ab Eccleſia diſtinguat. Numerus Eccleſiæ eſt CXLIV M. Apoc. XIV. ℣. 1. Hic conflatur ex XII. & per XII. exigitur. qui eſt numerus tribuum Iſraëlis & teſtium reſurrectionis ac aſcenſionis, & per conſequens Regni Chriſti: qui

12. teſtes poſuerunt fundamentum, cui inædificatur Eccleſia Chriſti; nimirum Euangelii Scripturam. Nihil igitur aliud vult Prophetia ſic numerans exercitum Chriſti, quàm deſignare Multitudinem multorum millium inædificatam in domum Dei ſuper fundamento Prophetarum & Apoſtolorum, h. e. Chriſto rege, quem illi fundamentum eſſe prædicarunt: cujus ædificii item lapis angularis, hoc eſt Vnitor & Concinnator, eſt idem ille Ieſus Chriſtus. Epheſ. II. ℣. 20. 21.

Numerus Beſtiæ eſt IↃCLXVI. Apoc. XIII. ℣. 18. Hic numerus non exigitur per duodecim; ſed per ſenarium. Ratio hæc eſt. 1. quia ut ſex ſunt dimidium duodenarii, ita Gog & Magog tantùm dimidiati Chriſtiani ſunt. 2. quia per Senarium Canonum & Legum Papalium (quem perfecit & magno elogio oſtentavit Bonifacius octavus) quod eſt χάραγμα τοῦ θηρίου h. e. ſcriptura & nota Beſtiæ, à fundamento duodecim Apoſtolorum diſtinguuntur. 666 / 12 (55. Superſunt Sex aſſuta duodecim Legatorum Dei fundamento, diſtinguentia numerum cenſitorum cum Beſtia à numero cenſitorum cum Agno. Hoc igitur dicit: Poſtquam converſus fueris, quoad labium, ad nomen Chriſti, quia non es integer, imponam tibi nomen Beſtiæ & legem mendacii, ut diſtinguaris à vera Eccleſia.

Tertiò, PROVECTIO. *Et aſcendere te faciam à lateribus Aquilonis.* hoc eſt. 1. In Septentrione totius mundi & Europæ creſcet poteſtas tua maximè; imprimis per Germanicum Imperium & ei annexa regna, quæ dabunt poteſtatem ſuam Beſtiæ. Apoc. XVII. ℣. 13. 2. Ex illis partibus oſtentabis autoritatem tuam & imminebis Chriſtianis ſive Eccleſiis, quæ in reliquis partibus mundi erunt; verbi gratia, Græcis, Africanis & Aſiaticis: quamquam non efficies, ut eos ſubjicias tibi.

Quartò PERMISSIO INVADENDI ECCLESIAM in partibus ejus, videlicet in Septentrione, à jugo ipſius liberatam. *Et adducam te in montes Iſraelis.* h. e. denique tandem, quum Iſraëlem ſive Eccleſiam Chriſtianam, quæ ſucceſſit in locum Iſraëlis, reformavero



Digitized by Google

vero & ſeparavero à cœtu tuo, eique certum locum dedero in certis montibus, hoc eſt, regnis & populis; tum dabo tibi, ut ea regna denuò poſſis invadere. Hactenus PROGRESSVS votis Gogi reſpondens.

Sequitur DEIECTIO item gradata. Gradus ſunt quatuor.

Primus, IMPEDITIO INVASIONIS ad tempus. *Excutiam arcum tuum è læva tua, & tela tua ex dextera tua cadere faciam.* VERSV 3. hoc eſt, Impediam conſilia tua pernicioſa & noxia, & cogam te deponere arma, & ſpeciem pacati aſſumere. Factum hoc inſigniter anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo ſecundo quum Pontifici & toti regno ejus pacificatio religionis cauſa extorta eſt. Conſidera faciem illorum temporum, & videbis Gogum arcum ſiniſtra tenentem & dextera imponentem ſagittas nervo. qualis ſpecies & Pſalmo XI. ℣. 2. Ibi repentè retia rumpuntur, ut dicit is Pſalmus ℣. 3. & Arcus Gogi Carolus quintus non tantum percutitur, ſed etiam è manu Gogi ejicitur. Nam quis fuit, qui ipſum coëgerit deponere Imperium, niſi Deus, qui noluit illum amplius eſſe Arcum Gogi ſive Inſtrumentum, quo Gog abuteretur ad terrendam & exſcindendam Eccleſiam? Hoc eſt, quod Eſaias dicit cap. XXIII. ℣. 13. Caroli hiſtoriam claudens (demonſtrari hoc poteſt, Lector) *Ejulate, naves Tarſis, quia profligata eſt arx veſtra.* Quam *arcis navium Tarſis* ſive diœceſeon Papalium *profligationem* ſequitur in prophetia *Oblivio Tyri* per annos ſeptuaginta ſive Contemtus & Imminutio Regni Papalis. De quo infra ad ℣. 9.

Secundus gradus Dejectionis eſt VERSV 4. nim. AGGREDIENTIS ISRAELEM PROSTRATIO. *In montibus Iſraëlis cades, tu & omnes alæ tuæ, & populi, qui tecum* ſunt. Quum te in montes Iſraëlis poſt temporis alicujus refrenationem adduxero, ibi tandem cades. Dicitur hoc ſuperiori capite ℣. 21. Eſt illa deſiccatio Euphratis prædicta Apoc. XVI. ℣. 12. Quemadmodum enim Euphrates exundavit, quum, ſolutis angelis, prodierunt Equi & Equites, myriades multæ, Apoc. IX. ita viciſſim Euphratis deſiccatio eſt caſus myriadum

illarum in montibus Iſraëlis. quum nimirum hoc fit, quod dicitur Eſa. XXXIII. ℣. 1. *Væ tibi vaſtator, qui non vaſtaris; & ſedifrage, cui non frangitur fides. Cùm abſolveris, ô vaſtator, vaſtaberis: cùm ſatis perfidiæ feceris, perfidè agent tecum.* Item illud Habac. II. ℣. 15, 16. *Væ potionanti ſocium ſuum, qui auges ardorem tuum, etiam inebriando, ut videas nuditatem illorum. Satiatus es ignominia præ honore. Bibe & tu & nuda præputium tuum. Circumagetur ad te calix dextræ Domini, & vomitus ignominioſus ſuper gloria tua erit.* Fieri iſtuc poſſe, & ſolere, & fieri, ut qui alios fugaverint, fugiant ipſi: qui terruerint terreantur; qui ſpoliaverint, ſpolientur; qui fraudaverint, fraudentur; invicti vincantur; non eſt cur prophetiæ magis credamus, quàm experientiæ. Hoc eſt, quod Apocal. dicit cap. XX. ℣. 9. *Et deſcendit ignis de cœlo & comſumſit eos.* De Gog & Magog loquitur.

Tertius gradus dejectionis eſt eodem verſu. TRADITIO IN CIBVM VOLATILI COELI ET FERIS AGRI. Hoc pleniùs explicatur infra ℣. 17. Idquè pertinet ad explicationem ℣. 22. cap. XXXVIII.

Quartus gradus eſſe videtur VERSV 5. PROSTRATIO IN FACIE AGRI. *In ſuperficie agri cades.* Poſſit videri hoc idem eſſe cum ſuperiori caſu in montibus Iſraëlis. Sed diſtinguendum ab illo putem. Non enim ſolet Scriptura in tam brevibus complexionibus idem bis dicere. Quia hoc inter futura eſt, nihil definiemus, niſi quod certum eſt. Certum eſt autem, in infimam vilitatem recaſuram excellentiam & majeſtatem illam humanam, quæ ſe effert adverſus Deum. Ita enim eſt Pſal. XII. ℣. extremo. *Secundùm elationem vilitas erit filiis hominum.* & Pſal. IX: 21. *Adhibe illis novaculam* quæ detondeat verticem piloſum (Pſal. LXVIII.) *cognóſcant gentes, ſe eſſe homines.* Et Pſal. X: 18. *Ne addat homo terrificus eſſe de terra.* Et plura ſimilia. An autem nihil aliud ſignificet hoc colon, quàm dominum illum ſanctiſſimum patrem pedibus omnium iri ſubjectum, affirmare non auſim. Videtur tamen hæc pars prophetiæ concinere cum iis, quæ dicunt, Egreſſuros filios Iſraël & ſpectaturos cadavera virorum deficientium à Deo. Eſa. LXVI. ℣. 24. Nam, qui ceciderunt in facie agri, eorum cadavera ab egre-

Digitized by Google

egredientibus extra civitatem ſpectari apta nata ſunt. Hoc igitur de caſu ſpirituali & cadaveribus vivis (vivi enim in ſtagnum ignis conjiciuntur, Apoc. XIX. ỳ. 20. Vivi & ſtantes ſuper pedes ſuos contabeſcunt. Zach. XIV. ỳ. 12.) intelligendum videtur. Poteram hoc relinquere, donec Eventus & Dies aperiat horum verborum verum ſenſum: ſed propter eos, qui non aſſueverunt phraſibus propheticis, quale quid concipi hîc poſſit, explicandum eſt. Poteſt autem talis eventus concipi, in exemplum, Gogum & miniſtros ejus Reges bellum habituros cum potenti aliquo Monarcha vel Hoſte, qualis eſt Turca; & tandem eos à Turca victum iri & in ſervitutem ejus conceſſuros, ablato ſceptro Gogi, ſi non & miniſtrorum ejus. Tum verò quis non diceret, & Gogum & Propugnatores ejus in magnis tormentis verſaturos, inprimis ſi videant Eccleſiam vel florere vel ſaltem liberam eſſe, libereque ædificari. Quis, inquam, non diceret, ſi hoc fieret, Mortem & Infernum & Beſtiam conjectos eſſe in ſtagnum ignis? Eos eſſe factos cadavera, eos ambulantes mori & oculos ipſis in foraminibus ſuis conſumi? Ego, quid futurum ſit dicere non poſſum; attamen adverſarii habent in mundo quod metuant. Horrenda ſunt iſta, fateor; neque eſt, cur gratiam magnam ſperet, qui talia imaginatur aut dicit. Conſiderent tamen ii, qui nunc vivunt, quid illud ſit, quod Habacuc dicit cap. III. ỳ. 16. *Audivi (& contremuit venter meus, ſono tinnierunt labia mea, venit eroſio in oſſa mea & ſubter me contremiſco) quod* QUIESCAM *in die* ANGUSTIÆ, *ut aſcendat* is, quem *in populum tanquam exercitum ductabit*. Item illud Zachariæ, cap. X. ỳ. 13. de tempore Novi Teſtamenti extremo omninò (ita poſtulante filo prophetiæ) intelligendum: *Et tranſibit per mare*, hoc eſt, mundum, *anguſtia & percutiet in mari fluctus, & exſiccabuntur omnes profunditates Amnis* (Nili) *& dejicietur faſtus* ASSYRII, *& ſceptrum* ÆGYPTI *abibit. Ægyptus* in ſpiritu eadem eſt, quæ Babylon, Civitas illa magna. Apoc. XI. Aſſyrii nomen hoc ſeculo non convenit niſi Turcæ. Simile autem eſt Eſa. XIX. ỳ. 23. *Illo die erit via* (confer Apoc. XVI. ỳ. 12.) *ex Ægypto* ditione Papæ, *in Aſſyriam* ditionem Turcæ: *& Aſſyrius veniet in Ægyptum*,



Digitized by Google

*ptum*, quemadmodum Gog venerat in montes Iſraëlis, *& Ægyptius in Aſſyriam*; ( Nam faſtus Aſſyrii dejicietur, ut dixerat Zacharias ) *& Ægyptius ſerviet Aſſyrio.* quia ſceptrum Ægypti abibit.

Hæc autem eſſe dicta de ultimo tempore, probat clauſula ſtatim ſubjecta. *Illo die*, hoc eſt. deinde *erit Iſraëlis*-Eccleſia *tertia Ægyptiis & Aſſyriis, benedictio in medio terræ: qua benedicit illi Dominus exercituum, his verbis: Benedictus populus meus Ægyptii & Opus manuum mearum Aſſyrii, & hæreditas mea Iſraël.*

Quod crediderim hunc ſimplicem intellectum habere, Eccleſiam Chriſtianam totam ex Iudæis & gentibus collectam inter Papiſtas & Turcas inſignia incrementa habituram, iiſque fore ἰσόῤῥοπον ſive æqualem numero & copia, ſingulari Dei benedictione, adeò ut Papiſtæ & Turcæ agminatim ad Eccleſiam convertantur. Hæc unquam iſto modo ordineque impleta eſſe, ut in iſto capite dicuntur, & non reſtare implenda, neutiquam concedam. Veruntamen de ſenſu prophetiarum, quæ res futuras & nondum impletas explicant, quoad ipſam qualitatem rerum & circumſtantias, nihil præjudicatò definimus.

VERSV 6. Secunda pars capitis explicat ordinem reformationis Eccleſiæ. Habet ea gradus tres. Ii ſunt hi.

Primò, EXCITATIO ZELI IN ECCLESIA ROMANA ſuper cauſa religionis, Per NOTIFICATIONEM NOMINIS Dei in Eccleſia. *Et injiciam ignem in Magog & in habitantes inſulas ſecurè, & cognoſcent, quòd ego ſim* IEHOVAH. Medium, per quod ille ignis excitabitur, indicatur VERSV 7. *Et nomen ſanctum meum notificabo in medio populi mei Iſraelis, &c.* *Magog* & *Iſraël* diſtinguuntur. Non enim omnes qui ſub Papa ſunt, ſunt Iſraël Dei: interim Iſraël ad tempus in iſta multitudine latet. *Iſraël* eſt & dicitur illa multitudo, quæ eſt veræ fidei & novæ creationis particeps, & adhæret fundamento, quod in *Scripturis* (quæ ſemper prædicari debebant in Magog) ponitur: Magog ſunt cæteri, qui fundamentum ignorantes mendacio *traditionum* (ſive ſint planè extra ſcripturam, ſive ſint falſa ſcripturarum interpretatio) quod aſſuitur fundamento, credunt,

credunt, idquè habent pro fundamento, per quod fundamentum evertitur. Declarabo rem ſimili. Iſraël ſecundùm carnem, eo tempore, quo Chriſtus apparuit, maxima ſui parte erat alienatus à Deo. Erant enim Sadducæi, abnegantes reſurrectionem mortuorum, aperti hæretici: erant Phariſæi, meliùs quidem ſentientes, ſed ſuæ juſtitiæ confidentes & traditiones πατέρων παραδόσεις *à patribus acceptas* æquiparantes verbo Dei, & per multas earum legem Dei ſolventes: erant etiam multi profani. Interim in medio illorum erat verus Iſraël Dei. Inter errantes etiam erant *oves perditæ Domus Iſraëlis:* quas quæſitum venit Chriſtus. Eodem modo ſe res habuit in Eccleſia Chriſtiana ſub Papa. Non fuit autem illa Confuſio Gog Magog & Iſraëlis ſive communio Beſtiæ & Chriſti fidelium abſque profanatione Divini nominis. Ideò dicit Ezechiel: *Non ſinam profanari nomen meum ampliùs.* Profanatio nominis Dei in eo eſt, quòd teſtimonium Dei de ſemetipſo, quod continetur in Scriptura, non ita intelligitur & recipitur, ut traditum eſt; quòd Scriptura ipſa non eſt in autoritate, quam meretur; quòd falſæ opiniones & traditiones veritati aſſuuntur. Quippe nomen Dei eſt veritas teſtimonii Divini, quo ille, qualis ſit, quaque ratione in Chriſto regnum ſuum velit conſtitui & conſervari, & quomodo ad ſalutem per fidem perducamur, patefecit. Medium igitur accommodatiſſimum reformationis & diminutionis regni Pſeudoprophetarum ſive Doctorum extra verbum Dei falſa tradentium, ſcripturamque ex ſuo ſenſu cum jactatione infallibilitatis propheticæ falsò interpretantium, eſt Notificatio nominis Dei ad Iſraëlem; ut ſcilicet, quoad fundamentum, intelligant, quæ ſit veritas, quæquè falſitas ei veritati ſit contraria. Imprimis verò ut principium fidei conſtituant Solam Scripturam oppoſitam Traditionibus non ſcriptis, & Demonſtrationem veritatis ex Scripturis ad conſcientiam omnium auditorum, oppoſitam Infallibili interpretationi Papæ & Epiſcoporum. Scriptura enim eſt & dicitur *Nomen Dei*, ut ſignum. Quod enim in Scripturis continetur id eſt vera Dei deſcriptio & q. denominatio. De illa notificatione nominis Dei in tenebris Gogicis futura varii loci Scriptu-

Scripturarum teſtantur. Hoſ. 11. ℣. 22. *& cognoſces Dominum.* Omitto alia. Apoc. XIV. eſt vox citharœdorum, & vox angeli prædicantis Euangelium æternum, jubens Deum adorare. Apoc. XI. teſtes Dei reviviſcunt & reſurgunt in pedes & in cælum aſcendunt. hoc eſt, Scriptura incipit in pluribus eſſe efficax ad cognitionem & fidem veritatis abominationemque mendacii: accipiuntque, qui ita edocti ſunt, ſpiritum parrheſiæ & fiduciæ ad contradicendum Seductoribus, tandemque Scriptura, labente autoritate Epiſcoporum, in ſumma autoritate eſſe incipit apud Eccleſiam. Hoc ipſum Propheta Eſaias cap. XIX. quod anteà citavi, ℣. 1. paulò aliter intimat. *Dominum equitantem in nube levi venturum in Ægyptum*, hoc eſt, Deum in regno Gogico manifeſtaturum ſe in verbo ſuo, non ſine nube teſtium, aut benedictione ſementis verbi per imbrem ſpiritus ſancti.

Porrò notificatio nominis Dei ad Iſraëlem erit miſſio ignis in Magog. Similiter loquitur Servator Luc. XII. ℣. 49. *Ignem veni mittere in terram, & quàm velim jam accenſum* eſſe! & ℣. 51. *Putatis, me veniſſe ut pacem dem in terra? Non, dico vobis, ſed diviſionem.* Hoc idem dicit Eſaias dicto cap. XIX. ℣. 1, 2. *Et commovebuntur idola Ægypti coram illo*, Deo adveniente in verbo ſuo, *& cor Ægyptiorum liqueſiet in medio illius. Et incitabo Ægyptios contra Ægyptios, & pugnabunt vir contra fratrem & vir contra amicum ſuum, urbs contra urbem, regnum contra regnum* de veritate religionis & obedientia Papæ vel præſtanda vel non præſtanda. & reliqua quæ ſequuntur.

Eventus notificationis nominis Dei in Iſraële & ignis accenſi in Magog eſt hic: *Cognoſcent Magog & gentes, quòd Ego ſim* IEHOVAH *Sanctus in Iſraële.* Deus gentibus manifeſtabit, ſe reverâ in Chriſto exhibuiſſe, quod Patribus promiſerat, & in nomine ſuo Iehovah, hoc eſt, in virtute iſtius nominis, apparuiſſe: Item ſe eſſe illum, qui Sanctus eſt in Iſraël, à quo ſanctitatem ſuam habet Iſraël, ſive redemtionem, ſive regenerationem & purificationem cordis per fidem, ſive juſtificationem, ſive ſanctificationem ſpectes; Se ſolum credi debere in Iſraële, ſuoque ſolius teſtimonio ac verbo illuminari & gubernari; ſolum teſtem, ſacerdotem, regem eſſe. Hæc enim

enim veritas per Gogum obſcurata fuerat hactenus. *Fumo* enim vanitatis mundanæ & mendacii cinctum fuerat templum Deī, ut gentes intrare non poſſent, donec phialæ iræ Dei effunderentur. Apocal. xv. ℣. 8. Quod *per gloriam Dei & potentiam Dei* factum eſſe, hoc eſt, occaſione convictionis multarum gentium de veritate prædicationis Chriſti & judicii in hoſtes Chriſtianorum, unde confluxus multorum hypocritarum conſecutus eſt, ex notis ad ℣. 2. verbo, *Sextabo te,* intelligi poteſt. Præterea verba ſic conſtrui poſſunt; *quòd Ego, ſanctus in Iſraël, ſim Dominus.* Ea conſtructio ad priorem enucleationem hoc addit; cognitum iri, quòd in Magog non ſit verus Iehovah, ſed quòd is, qui ſanctificatur ab Iſraële, ſit Dominus. Ex quo pendet, ut ſimul cognoſcatur, quis ſit verus Iſraël, nimir. qui ſanctificat Deum. Hæc cognitio Dei fit mediantibus effectibus Dei; qui Eccleſiam ſeparabit à gentibus Deum non ſanctificantibus, eique locum & urbes dabit (vide ℣. 9.) cogens Gentes ei dare pacem (cap. XXXVIII. ℣. 8.) excuſſo arcu & ſagittis è manu Gogi, ℣. 3.

Prophetiæ hujus non tam veritas obſignatur, quàm evidentia innuitur VERSU 8. *Ecce venit & factum eſt, ait Dominus Deus. Ille eſt dies, quem locutus ſum.* Rurſus Deus in re præſenti tanquã de cælo loquens introducitur, & conteſtans, id ipſum tempus eſſe, quod deſignaverat. Quo, ut & ſupra in ſimili conteſtatione diximus, notatur, fore, qui nomine Dei tempus diemque implementi hujus prophetiæ & aliarum idem pronunciantium notent & indicent. Documentum eſt, Si quis rem ſic geſtam demonſtret, quemadmodum in verbo Dei deſcriptum eſt, hoc ita accipiendum eſſe, ac ſi Deus clara voce ex cælo diceret, hoc illud eſſe, quod per Prophetas longè antè curavit annunciari. Quamobrem ea, quæ Deus facit in mundo non ſunt negligenda, ſed juſtis ponderibus examinanda, & ad verbum Dei conferenda, ne forte, dum Deus è cœlo teſtatur de opere ſuo & de verificatione verbi ſui, videamur illum de cœlo loquentem non audiviſſe cum magna jactura, imò exitio noſtro & aliorum.

Antequam pergam, verbo monendus eſt Lector de ordine

Digitized by Google

ordine Prophetiæ. Non ſunt verba Prophetæ ita ordinanda, ut ſecundùm ordinem verſuum una ſerie implementa ſiſtantur. In faſciculos colligit Propheta rerum genera, & diſtincta diſtinctè ſuo ordine explicat. Primò quid Deus diverſis temporibus cum Gogo ſit acturus. Ibi initium ejus cum fine cònſerit. Quæ interim acturus ſit in Eccleſia certo tempore, Reformationis ſcil. ſeparatim explicat. Tum rebus Eccleſiæ connectit hypotypoſin judicii Gogi; & tandem conſequentia ſive cataſtrophen totius hujus tentationis abſolvit.

Secundus gradus Reformationis exhibetur ſub ſchemate COMBVSTIONIS ARMORVM, & SPOLIATIONIS. VERSV 9. & altera parte 10. *Exibunt habitantes oppida Iſraëlis & accendent & inflammabunt armaturam*, &c. *& ſpoliabunt ſpoliatores ſuos*, &c. Hîc cauſa efficiens Combuſtionis dicuntur *Habitantes oppida Iſraëlis*. Obſervanda circumſtantia. Antiochi tempore Iudæi, quum egrederentur contra ipſum, non habebant oppida; ſed habebantur potius in oppidis. Sed Iſraël ſive Eccleſia Euangelica, de qua hîc agitur, habebit quædam *oppida*, h. e. quoſdam cœtus per prædicationem verbi & adminiſtrationem Sacramentorum collectos & in unitate conſervatos. Habac. III. ℣. 14. *initium pagorum* à Deo deſignatum & deſcriptum nominat. Eſa. XIX. ℣. 18. Quinque urbes ſive civitates cum quadam differentia metaphoræ notat. Vt verò in urbibus ſolet, erunt *Tranſeuntes* ſive Ephori publicè privatimque pro ſalute populi excubantes & omnia inſpicientes & luſtrantes. De quibus poſtea ℣. 14 & 15. *Ex iis oppidis* ſive cœtibus particularibus ſecretis à Communione Magog *exibunt & comburent arma*. Non corpore exibunt aut corporaliter comburent. Fieri hoc non poteſt. Vnius prælii tela focis ſufficere in ſeptem annos tanta hyperbole eſt, ut fatiget etiam illos, qui totam Scripturam in hyperbolas convertunt. Hyperbolæ mitigationem quærunt in nova hyperbole. *Amant*, inquiunt, *Hebræi in magnis multiſve rebus exprimendis numerum heptados.* Bellè! Magna multitudo hominum cadet. Hoc ſtrues telorum demonſtrant ſcilicet. Vt multas eſſe intelligas, culinæ ſuffecturas multis familiis diceres, per magnum tempus.

Oporte-

Oportebat addere, non cædi interim ligna; quod omnibus ſufficiant. Non ſatis. Sufficere in annos. Non ſatis: in ſeptem annos. Apage tam inſolentem & tumidam hyperbolen. Vel hoc monere debebat, non agi de armis ligneis & propriè dicto incendio hoc loco. Combuſtio ſignificat abolitionem. Tanta erit efficacia prædicationis Euangelii, ut certo temporis intervallo conſecutura ſit hierarchiæ Papalis abolitio in multis locis, etiam illis ubi incendiis & vivicomburiis conabuntur extirpare veritatis prædicationem. Ignis ille ipſos conſumet, quem ipſi accendent. *Armatura* notat miniſtros Gogi. Diſtribuuntur in arma protegentia, ut ſunt *clypeus & ſcutum*; nocentia eminùs, *arcum & ſagittas*; ferientia cominùs, *baculum manualem & haſtas.* Papales miniſtros omne genus intelligo. Sunt qui pacem præbent, Principes; qui defendunt cauſam, Doctores; Qui autoritatem habent ad judicandum, Arcus, quibus ſubſunt miſſi ab illis Decretorum executores. Sunt qui baculo utuntur poteſtatis inſigni Iudices urbani; ſunt præliatores, qui haſtis utuntur. Solenne Prophetis miniſtros regiminis per *vaſa* deſignare. Paulo Apoſtolo nota phraſis; 2 Tim. II. ℣. 20. In magna domo non tantum ſunt vaſa aurea & argentea, &c. & de ipſo Paulo Actor. IX. ℣. 15. *Vas electionis mihi eſt.* Et quid eſt Servus niſi ὄργανον ἔμψυχον καὶ νοερὸν, *inſtrumentum animatum & rationale?* Sic Zachar. IX. ℣. 13. Iudas dicitur arcus Dei tenſus, Tſyon gladius. Mox cap. X. ℣. 6. *Ex ipſo angulus, ex ipſo clavus, ex ipſo arcus bellicus.* Compara etiam Eſai. XXII. ℣. 23, 24, 25. Item Eſai. XLIX. ℣. 2. Implementum vide. Miniſtri Papales in quot regnis & populis per prædicationem Euangelii aboliti ſunt! In Belgio ſeptem χιλιάδες hoc eſt, ἡγεμονίαι Epiſcopales (Nam אֶלֶף quod vertitur & χιλιὰς, eſt & ἡγεμονία) & ſeptem tituli politici, nomina hominum, extincta ſunt. Apoc. XI. ℣. 13. In Britannia, quicquid pro Papa militavit, exterminatum eſt. Idem factum in Dania, Suedia, aliiſque partibus.

Combuſtioni armaturæ adnexa eſt *Spoliatio.* Nihil ea aliud ſignificat, quàm, Plebes Gogo olim ſubjectas,

combuſtis

combuſtis armis Gogi ſive abolitis miniſtris ejus, traductas eſſe in partes Eccleſiæ Euangelicæ. *Deprædatio* aliquid violentius ſonat. Neque negari poteſt, reformationem alicubi vi factam eſſe, ſive per tumultum, ſive per autoritatem magiſtratuum. Non quòd nos tumultus aut bella omnia ea occaſione cum magnorum regnorum concuſſione geſta approbare, aut, qui eorum participes fuere, pro ſanctis & religioſis commendare velimus; ſed quòd Dei diſpoſitione factum ſit, ut etiam mundus & *ſtulti* quidam atque temerarii Eccleſiæ ad optima ejus ſpolia accumulanda inſervi- verint.

Hujus combuſtionis terminus & limitatio notanda ſunt.

Terminus eſt, *Septem anni*. A qualitate temporis vera quantitas invenienda eſt. *Septem* anni ſunt ſpacium illud pacis Eccleſiæ; cujus terminus à quo eſt Excuſſio arcus prima ex manu Gogi; terminus ad quem eſt Novæ expeditionis Gogicæ ad opprimendam Eccleſiam primus triumphus: quia tum Arma Gogi combuſta hactenus incipient in locis ſuis reſtitui. Iam quia hic Eccleſiæ profectus non includitur ſeptem annis propriis, neceſſe eſt ænigmaticè hoc dictum accipere: ut annus in genere notet magnam temporis & q. perfectam periodum. qualis eſt periodus 10 annorum. Idque eo fidentius dicere poſſumus, quia alibi Prophetia hoc tempus Septuaginta annis menſurat, nimirum Eſai. XXIII. ℣. 14. Eſt in illo capite inſignis prophetia & minime obſcura de rebus in Eccleſia & politia Chriſtiana geſtis ſub initia Reformationis Imperante Carolo V. uſque ad pacem religionis cauſa factam. Deinde contemtum & imminutionem regni Papalis incrementumque Eccleſiæ prænunciat per ſeptuaginta annos, ſub metaphora oblivionis Tyri tanquam ſcorti vilis & neglecti. Quibus ſeptuaginta annis finitis ſubjungit novos triumphos & nova gaudia & blandimenta & fornicationem Tyri illius myſticæ cum regibus terræ. Omnium tamen eventus hic docetur, ut Tyrus quæſtum ſuum non poſſideat neque retineat poteſtatis ſuæ augmenta, ſed ut ea cedant ſedentibus coram Domino & ipſius verbum

Digitized by Google

verbum audientibus. Caput hoc eiſdem planè terminis ac ſpaciis decurrit, quibus caput XIX. ejuſdem prophetæ. Eſt quidam, qui tam notabilem prophetiam refert ad tempora incognita Salmanaſſaris aut Sanheribi, exitumque & cataſtrophen capitis in eo ponit, ut Iſraëlitæ augeantur Tyriorum opibus, eis quæſtum ſuum per luxum in frumentum, vinum, carnem, lanas ab Hebræis emenda prodigentibus. Mira extenuatio Scripturæ! Et, ne quid deſit audaciæ pro *ſeptuaginta* ter in eodem capite reponit *ſeptem*. Quos annos colligit ex quinque annis, quibus Tyrii aquis arciti fuerint, & duobus annis, quibus Rex Aſſyrius iſtic locorum manſerit. Sed tales nebulas dies veritatis implementi aliquando traducet. Nos perſequamur inſtitutum. Anno quinquageſimo ſecundo ſuperioris ſeculi pax religionis Paſſavii facta & triennio poſt Auguſtæ confirmata eſt. Hujus ſeculi anno viceſimo ſecundo poſt Bohemiam Palatinatus inferior ſubactus, Academia Pragenſis & Heidelbergenſis Ieſuitis tradita, novi cælites à Papa creati, alia ad reſtaurandam Papalem dominationem inſtituta. Septuaginta anni intercedunt. Has ſeptem decadas ænigmate ſeptem annorum innui in rei geſtæ tam clara evidentiâ quis negabit? imprimis quum Terminus à quo, annus 1552. alibi in Chronologia prophetica notabilem locum habeat, in finiendis videlicet 1260. diebus, hoc eſt, annis Apocalypticis oppreſſionis ſanctorum: & eſt hoc Dei opus tam inſigne, ut non debeat videri mirum, ſi ejus annum voluerit Spiritus Dei indicare.

Limitatio combuſtionis VERS. 10. principio continetur, parentheſi (ut clarum eſt ex rerum connexione) ſecludenda. *Et non capient ligna* [ſive arbores] *ab agro, neque cædent ex ſylvis; ſed armaturam cremabunt*. Iam antea monui, Arbores umbriferas eſſe hieroglyphicon Eccleſiaſticę eminentiæ, à Deo non inſtitutæ, Eccleſiam, hoc eſt, & prebsyteros & plebem, obumbrantis, &, quaſi Deus & Chriſtus non ſufficerent ad præſtandam efficaciam Lapidis angularis in Eccleſiâ uniendâ & compingendâ, humano NOMINE & autoritate unitatem continere ſatagentis. Metaphora eſt facillimæ intelligentiæ. Nemo mirabitur, de illius Eminentiæ reliquiis in Eccleſia hîc agi,

qui ordinem inEccleſia reformata conſtitutum,amotamque deinceps hanc Eminentiam deſcribi à Propheta animadverterit. Summatim igitur hoc dicit: Dum abolebitur Armaturæ Pontificiæ lignum, non tamen in Eccleſia ſtatim abolebitur Epiſcopalis apex & ſi quid ei affine eſt, ſupra ordinem, docendi & ducendi officio divinitùs ornatum,ſe elevans. Manſerunt illa, licèt ſimilis naturæ eſſent cum eo,quod abolebatur; quia hæc,quæ tolerabantur,non præſtabant ſe Armaturam Gogi. Diſtribuit Prophetia Arbores illas reſiduas, 1. in Agro. 2. In ſylvis. In Agro raræ ſolent eſſe,in Sylvis ſpiſſæ & confertæ. Nemo ignoret, *Sylvam* in Scripturis eſſe Emblema Hierarchici ſtatûs, quoties de Eccleſia agitur. Eſai. XXXII. ℣. 19. *Et grandinabit, quum deſcendet* [ſive, cadet] *Sylva*. Zach. XI. ℣. 2. *Deſcendit* [ſive, cecidit] *Sylva vindemiæ*. Omitto alia. Iſtic politia & hierarchia Iudaica primò intelligitur. Dico, *primò*; quia caput illud ulteriùs progreditur uſque ad ipſam abolitionem Paſtoris ſtulti, qui eſt noſter Gog. Summa autem totius capitis tribus primis verſibus continetur. Poterat ex dictis apertum eſſe,quem Agrum,quas Sylvas Prophetia indigitet. Sed lubet aliam Prophetiam cum hac conferre, ut collatæ ſibi invicem fœnerent lucem. Apoc. XIV. ℣. 15. memoratur *Meſſis terræ*. Meſſis in Agro fieri ſolet. Rurſus ℣. 18. memoratur *vindemianda Vitis terræ*. Diverſæ ſunt iſtæ partes Eccleſiæ Proteſtantium : altera *Agri* ſimilitudinem habens ob raras Arbores umbriferas, hoc eſt Epiſcopos preſbyterio dominantes; altera Vineæ, quæ & *Sylva Vindemiæ* (vel etiam *Sylva*, in diverſis regnis ſcilicet) vocari poteſt, quæ frequentes habet iſtarum Arborum magnarum & parvarum ordines. Triſtis experientia calcati torcularis Dei hanc me expoſitionem hactenus ignoratam docuit. Sed iterum huc redibimus infra. ℣. 16. Non poteſt dici, quàm facilis ſit meditationis via in talibus, ei, qui attenderit. *Iſraël*, Eccleſia, *montes* inhabitans, multis principatibus & regnis recepta, (quos per quinque Vrbes indigitat Eſai. XIX. ℣. 18.) *urbes* habens, cœtus colligens ordine, qui à Deo inſtitutus eſt, gubernatos per verbum & ſacramenta & diſciplinam, *egredietur ad comburendum Arma*, propagabitur cum effectu aboli-

abolitionis poteſtatis cœtûs & regni Adverſarii. *Manebunt interim arbores in Agro & Sylvis,* Poteſtates quædam ſimiles manebunt & non abolebuntur, quæ alibi erunt rariores, ut in Agro; alibi confertiores, ut in Saltibus. Ex hac theſi quàm proclive eſt invenire hypotheſin. Et ſimiliter Apoc. XIV. ſi obſerves ordinem & prædicationis ab initio, quæ facta eſt reformationis ergò, & judiciorum in ingratos. Sed ſufficiat hîc occaſionem dediſſe de iſto capite ampliùs meditandi. Eſt autem ex præcipuis capitibus Apocalypſeos ſtatum Eccleſiæ cum Beſtia luctantis clarè exhibens & nunc propemodum totum impletum: niſi quod nec *Meſſis* nec *Vindemia* adhuc finita eſt, licèt illa priùs ab annis pluſquàm viginti, hæc poſteriùs, & quidem nuper, incepta.

Tertius gradus Reformationis exhibetur ſub ſchemate REPURGATIONIS TERRÆ. Hoc pertinet ad abolitionem falſæ doctrinæ, & denique regiminis illegitimi. Collocato enim fundamento & principio vero fidei per notificationem nominis Dei, abrogatiſque Papalibus poteſtatibus, conſequens erat, ut, ſi quid reliquum eſſet fermenti in doctrina aut regimine, aut ſi quid ſubinveheretur, id expurgaretur. De ea expurgatione incipit agere VERSU 11. & abſolvit VERSU 16. Habet autem quatuor partes. Eæ ſunt 1. Examinatio & Rejectio doctrinæ Pontificiæ in Concilio Tridentino expoſitæ, ſub metaphora *Sepulturæ Gogi & turbæ ejus.* VERSU 11, 12. Hîc interſeritur regiminis melioris inſtitutio damnationem errorum comitans. VERSU 13, 14. parte prima. 2. *Scrutatio* intra ipſum Eccleſię Euangelicæ corpus. VERSU 14. parte altera. 3. Animadverſio doctrinæ mortuæ in Eccleſiæ membris quibuſdam, & circa eam admonitio & confeſſio publicè edita ejuſque tandem ſepultura ſive rejectio. VERSU 15. 4. ABOLITIO NOMINIS ex Eccleſia Romana reliqui. VERSU 16.

De ſingulis videamus. 1. De SEPULTURA Gogi per Iſraëlem. VERSU 11. oſtenditur occaſio ſepeliendi, ſive inter ſpiritualiter mortuos ponendi, Gogum & cœtum ejus; nimirum Congregatio Concilii in ipſis partibus Eccleſiæ, in ora Germaniæ. *Die illo dabo locum Gogo, ubi* erit *ſepulchrum, in*

*Iſraële; vallem tranſeuntium verſus orientem maris : &* erit *illa frenans tranſeuntes : & ſepelient ibi Gogum & omnem turbam ejus. & vocabunt, Vallis turba Gogi.* Locus Gogo datur intra fines ejus terræ, in qua Eccleſia Euangelica refloruit. Non totos montes illos omnes occupat Iſraël, qui ei dantur; ſed in quodam montium relinquitur Gogo locus. In Germaniâ ſcilicet. In illo loco eſt Sepulchrum, in Iſraële. Hæc ſunt latera Aquilonis, affixa & annexa regno Gogi, decerpta à loco Eccleſiæ. Vallis, quæ ſepulchrum facta eſt, deligebatur ad agendum cœtum, ad Senatum regni Gogici cogendum, ad erigendum tribunal, ad judicium ferendum. Neceſſe erat extare formulam aliquam, per quam fieret Gogicorum ab Eccleſia diviſio: ut illi parti mortui adhærerent, alteri, in quibus vitæ quid eſſet. Datus igitur eſt locus *Vallis*, inter montes ſitus, montes procul dubio, qui Gogi dicionem extremam in vicinia terræ Eccleſiæ determinant. Hi Alpes ſunt. Sed in quo tractu? Quâ iter eſt ad mare ex terra Iſraëlis ſive Euangelicæ Eccleſiæ illis, qui volunt mare trajicere, ut accedant ad terram eam, quæ eſt ultra mare ad orientem. Luculentiſſima deſcriptio Vallis Tridentinæ, per quam eſt via à Septentrione, è Germania, in Palæſtinam ultra mare ad ortum ſitam. *Tridentum*, ait Geographus Merula p. 2. lib. 4. p. 1315. *Italiæ ab Septentrionalioribus janua.* Tridui itinere diſtat Venetiis. Vnde navibus oriens petitur breviſſimè iis, qui è Germania & toto Septentrione tendunt. Non poterat Prophetia locum Sepulturæ Gogi diſertiùs notare, ſervato ænigmatis decoro. Quærentes locum ſepulturæ ad Mappam deducit. Ibi digito demonſtrat *mare*, quod ad occidentem terræ ſanctæ poſitum noverant omnes. unde & Occidens vocabulo *maris* in Scripturis deſignari ſolet. Et quanquam alia maria, ut mare rubrum, mare mortuum, mare Genneſareth ſive lacum Tiberiados haberet Palæſtina; tamen occiduum mare הַיָּם *τὴν θάλασσαν*, *mare* abſolutè cum articulo, ſine epitheto, frequentiſſimè appellat. Pergit Propheta & diſcipulum ſuum in Mappa ultra mare verſus Occidentem deducit. Notum eſt enim ex Prophetiis,

tiis, Euangelium à Iudæis repulſum in Occidentem, in Inſulas maris, ad filios tuos, ô Iavan, ad Iaphethi poſteros (Vide Pſal. LXXII. ℣. 10. Eſai. XLII. ℣. 4, 12. Zach. IX. ℣. 13. Geneſ. IX. ℣. 28. collato cap. X. ℣. 5.) tranſiturum. Ibi igitur oſtendit in parte Occidua Meridiem & Septentrionem; docetque fore ſuo tempore, poſtquam Euangelium ubique in omnibus partibus orbis cogniti eluxerit, *τὴν δυτικὴν ὀφρὺν Occiduum ſupercilium* Gogi ſe manifeſtaturum. Deum nihilominus ſibi in iſtis ipſis partibus Eccleſiam ſervaturum; & Eccleſiæ quidem (quæ veri Iſraëlis propago eſt) daturum Septentrionem, Meridiem Gogo conceſſurum. In meridie Meſech & Tubal, hunc depreſſiorem ad Notia, illum ad Boream elatiorem denotat. Tum limitem, *latera Aquilonis*, deſcribit. Quæ terræ quaſi ſemicirculo terram Eccleſiæ includunt, altiùs à Mari Septentrionali & freto Britannico ducta lineâ ad Alpes, rurſus per Danubium paulatim aſcendendo ad Sarmatiam. Tum Tarſis ſive maris mediterranei accolas, in Græcia & Aſia minori; Sabæos, & Dedanæos, cum ſuis Leonibus & Mercatoribus notat Gogi intentione offenſos: Eoque ipſos à Gogo & Magog tam evidenter diſtinguit, ut nemo vel probabiliter cogitare poſſit, Sabæos, Dedanæos, habitantes Tarſis & leones ejus. hoc eſt, Arabes & Turcas eorumque Imperatores ſive Sultanos, Begos & Baſſas, eſſe Gogum. Alibi Gomer & Togarma Gogi auxiliarios; & in ultimis partibus ad Orientem Perſici ſinus accolas Indos, ultimæque Africæ populos, & Putæorum progeniem Americanos demonſtrat, quorum opibus ſuffarcinatus Gog impetum ſit facturus in montes Iſraëlis. In Alpibus, in lateribus Aquilonis ut limite quodam terrarum Eccleſiæ, viam indigitat ex Septentrione ad Orientem, Vallem ſive Aperturam Alpium Tridentinam. Ibi ſedem ſuam fixurum Gogum thronumque collocaturum, ut judicet Eccleſiam; eoque daturum Eccleſiæ juſtam occaſionem damnandi doctrinam ejus, tanquam eam, quæ non reſipiat vitam Chriſti, ſive quæ non ſit potentia Dei ad regenerandum & ſalvandum homines in peccatis mortuos; cui doctrinæ qui adhæreant pro vivificatis ſpiritu Chriſti haberi non poſſint. Dein-

 ceps

ceps demonſtrat in illo Septentrione, qui datus Eccleſiæ tum eam partem, quæ Agri ſimilitudinem habitura ſit, tum eam partem, quæ Sylvæ faciem ſit obtentura. Ipſumque umbilicum terræ. Demumque demonſtrat partes Aquilonares loci Gogici, unde proruptarus ſit in Agrum Eccleſiæ, itaque progreſſurus ut tandem ex omni parte videatur Eccleſiam cingere. Denique Sylvam indigitat, in qua Nomen Vrbis Hamonah ad extremum ſit excindendum. Chaldæus definit Vallem ſitam ad orientem lacûs Genneſareth. Vnde interpretes quærunt hanc vallem in Gileaditide. Sed Scriptura expreſsè dicit, *Vallem tranſeuntium verſus plagam orientalem maris*. Ergo neceſſe eſt Vallem quæri in plaga maris Occidua. Alioqui enim dicturus fuiſſet, *Vallem venientium à parte Occidentali maris*. Quidam putat ſe reperiſſe vallem & cladem Gogi in 1. Maccabaicorum cap. v. ℣. 21. ubi narratur, Simeonem fratrem Iudæ præliatum eſſe in Galilæa cum gentibus uſque ad portas Ptolemaidos, & cecidiſſe è gentibus tria millia. Sed hæc non ſunt geſta ad orientem, ſed ad occidentem maris Tiberiados. Rectiùs citaſſet ℣. 34. ubi narratur Iudas Timothei caſtra invaſiſſe ad Dathema (confer. ℣. 10, 11.) & octo millia cecidiſſe. Hoc enim in Gileaditide geſtum eſt. Sed adhuc in obſcuro eſt, utrum is locus prope lacum, & in valle ſit, & in valle tranſeuntium, hoc eſt, in via & aditu Gileaditidos (qui potius Ephron eſt. Vide 1 Maccab. v. ℣. 46.) & an res geſta in uno iſto loco tanti fuerit, ut tanto ambitu, aliis prætermiſſis rebus geſtis, clarioribus etiam, ab Ezechiele deſcriberetur; & ut ſepultura cadaverum ad ſeptem menſes extenderetur (quaſi non 8000. hominum paucis diebus potuerint ſepeliri) aut is ſepeliendi labor Iſraëlitis delegaretur, qui intenti fuerunt perſequendis hoſtibus; imò quos ex iis partibus liberatos in Iudæam traduxit. Sic enim eſt 1 Maccab. v. ℣. 45. *Tunc abduxit Iudas omnes Iſraëlitas qui erant in regione Gileadis tam parvum quàm magnum & uxores eorum liberoſque eorum & ſupellectilem, caſtra magna admodum, ut venirent in terram Iudæ*. Scilicet Iudæ Maccabæo in tantis curis & laboribus nihil prius fuerit, quàm ut terram, quam mox

gentibus

gentibus relicturus erat, eductis omnibus Iſraëlitis, mundaret ſepultis cadaveribus, & ad conquirenda cadavera circummiſſis inſpectoribus, qui reperto poſt ſeptem menſes non jam cadavere ſed ſceleto id quidem non ſepeliant ſtatim, ſed juxta hermam ædificent monendis viatoribus ne propiùs accedentes impurarentur, donec tandem ſepeliatur id ſceleton. Exſpectabam, ut notis ad I Maccab. v. ſatiſfieret hiſce difficultatibus; ſed altum ibi de prophetia Ezechielis ſilentium eſt. Ita explicantes Scripturam & ipſi nos ridiculos facimus & ipſam proſtituimus deridendam. Neque enim majeſtas Scripturæ in craſſis voluminibus & uncialibus literis conſiſtit. At verò nemo putet Prophetas tantùm locutos eſſe de populo Iudaico & circumſitis regionibus. Quid enim prodeſt nobis de Tyriis, de Antiocho illos veraſſe, ſi nihil reſtat, quod ad nos pertinet, ſed nos in cæca nocte verſamur & nec prophetas nec prophetias nobis loquentes habemus? Omnia ſcilicet erunt Babylonica captivitas & Antiochus, negocium paucorum annorum; de his annis ſeſquimillenis nihil. Igitur tantæ rerum converſiones, Eccleſiæ exercitationes, & hoc, quod hiſce agitur ſeculis, nihil eſt? Pudet me illorum, qui ut in hiſtoria Græci ſemper infantes, nihil ultra captivitatem Babylonicam vident, &, niſi Novum Teſtamentum cogeret quaſdam prophetias de Chriſto interpretari, non auderent Chriſtum in Prophetiis agnoſcere. Excuſandi, qui non viderunt, quæ nos videmus: ſed non ferendi qui de induſtria hoc agere videntur, ut prophetias nihil ad nos pertinere putemus. Et verò, ut agnoſcas inſignem illorum modeſtiam, is, de quo loquitur Eſai. LIII. de quo quærebat Eunuchus, Actor. VIII. ℣. 34. quis eſſet, ipſis Ieremias eſt. O pueros, ô rudes eloquiorum Dei & δυνάμεως (*poteſtatis*) Scripturæ! O tardos ad credendum omnibus, quæ in Prophetis ſcripta ſunt! O cæcos & cæcorum duces, quibus, inſtar Iudæorum, in lectione Veteris Teſtamenti velum cordibus impoſitum manet! 2 Cor. III. ℣. 14.

Locum congregationis Gogi vidimus. Videamus opus ejus in eo loco. *Et frenans* erit *illa* vallis *trajicientes*. Si juraſſem in verba Chaldæi interpretis, dicerem

Ephronem notari, quæ erat è regione Bethſean ſive Scythopoleos; quæ reſiſtens Iudæ Maccabæo volenti Iſraëlitas in Iudæam ex medio gentium traducere ab ipſo exciſa eſt. 1 Maccab. v. ℣. 46, 52. Et, ſi hoc dicerem, tenuem aliquam umbram & typum veritatis in unico colo oſtenderem. Sed ne id quidem dicunt. Nobis clarius aliquid & majus hîc proponitur. Actio hominum ſive Gogi in hac valle, ipſi valli attribuitur. Illa metonymia eſt clariſſima. Ergo Gogi Senatus in hac valle frenabit tranſeuntes. hoc eſt, eos, qui eunt verſus Palæſtinam & Hieroſolymam, quæ eſt trans mare ad ortum, ut inde petant legem & teſtificationem (dictum eſt enim, *Ex Zyone exibit Lex & verbum Domini Hieroſolymis*, Eſai. 11. ℣. 3.) eos, inquam, quaſi lupato injecto inhibebit & coërcebit, quantum in ſe eſt, ne tranſeant ulteriùs, ſed à ſeſe in Valle hac leges dictante verbum Dei accipiant. Hoc enim vult Synodus Tridentina ſtatuens Traditiones Eccleſiæ (quæ ex ore Papæ petendæ ſunt) pari pietatis affectu, atque ipſas Scripturas excipiendas eſſe, idque ſub anathemate. Iam ſi articulos, quos illa nobis definit, & interpretationem infallibilem Papæ, quam illa commendat, recipias, nihil cauſæ eſt quare ad Tzyonem & Hieroſolymam ulteriùs pergas: hoc eſt, Scripta Moſis & Prophetarum & Apoſtolorum ampliùs conſulas; neque licebit tibi vel Scripturis credere vel Scripturas ex Scripturis interpretari niſi ex ore Gogi. Nam decreta & anathemata Tridentina capiſtrum ſunt loquendi libertatem amputans. Neque enim neceſſe eſt, ut corpore tranſeas. Deus in Sina loquens, Filius Dei in Tzyon revelatus fide Scripturarum, quas inde accipimus, acceditur & auditur. Sic Eſai. 11. ℣. 2. 3. *& confluent ad montem domûs Domini omnes gentes. Et ibunt populi multi & dicent, Age, aſcendamus ad montem Domini,* &c. Hagg. 11. ℣. 8. *Commovebo gentes & accedet deſiderium omnium gentium: & implebo hanc domum gloriâ.* Eſai. LXVI. ℣. 20. *Advehent fratres veſtros in carpentis ad montem ſanctum meum.* Zach. XIV. ℣. 16. *Aſcendent quotannis gentes Hieroſolymam.*

Quis effectus hujus frenationis? *Et ſepelient ibi Gogum & omnem turbam ejus.* Longè aliter excidet res,

atque

Digitized by Google

atque ille cogitaverit. Cogitabit quidem ille ibi ſepelire Scripturam (quid enim aliud quærit frenatio tranſeuntium?) quam adhuc ſepelire non erat permiſſus; ut docet Apoc. xi. ℣. 9. Hactenus enim fuerant ex omnibus nationibus, qui *viderent teſtes* Domini, qui loquuntur in Scripturis in Veteri & Novo Teſtamento, eos agnoſcerent, eoſque *non permitterent ſepeliri*, ut ab oculis hominum amoverentur; licèt apud hoſce eſſent *cadavera*, hoc eſt, nullam vitalem efficaciam in illis exercerent & ipſis fœterent. At enim ne nunc quidem Gog in valle ſua ſepeliet: ſed Senatus ejus *ſepeliet Gogum & omnem multitudinem ejus.* hoc eſt, Concilium à Gogo illic congregatum 1. talia decreta ibi faciet, quibus oſtendet, Gogum & omnes, qui cum ipſo faciant, planè eſſe mortuos & excæcatos, ne poſſint videre veritatem, & à fide in Deum alienos: 2. iis decretis addent anathemata, quibus ſe ſeparent à communione tranſeuntium Tzyonem verſus, hoc eſt, ab Iſraële, ſive Euangelica Eccleſia. Quæ quum vocetur *Terra viventium*, dum ſe ponunt in terra mortis & interitûs, rectè dicuntur, ſeſe ipſos ſepelire.

Ea ſeparatio ipſo indigitamento innoteſcet. *Appellabunt enim eam, Vallis Multitudinis Gog.* h. e. Tridentum peculiare nomen ſortietur, ut radix & crepido Eccleſiæ Catholicę Romanę habeatur. Eſt diverſa *Multitudo* (Heb. הָמוֹן) Eſt enim הֲמוֹן גוֹיִם *multitudo gentium* (Eccleſia Catholica) cujus pater eſt Abraham. Illa multitudo tranſit Tzyonem verſus, & inde animis pendet. Eſt & הֲמוֹן גוֹג multitudo *Gogi*, Eccleſia Catholica Papæ, quæ Romana dicitur. Ea Tridenti legem accipit; inde pendet; ibi ſepulta eſt. Hieroſolyma, non terreſtris illa, ſed ſuperna, hoc eſt, civitas ſanctorum, quorum nomina ſcripta ſunt non ſolùm in albo regum Iudæ, ſed in libro vitæ agni in cælo, ad quos Deus locutus eſt per Davidem regem & alios ſervos ſuos, per Chriſtum, per Apoſtolos, & qui Dei eloquia & promiſſionem gratiæ exceperunt; hæc eſt *mater omnium noſtrum* ad vitam. Tridentum, quod nobis Hieroſolymam tendentibus & corporaliter in via



Digitized by Google

ſitum eſt, & ſpiritualiter auctoritate ſua fibulam injicit, mater eſt Multitudinis Gogi ad mortem. Hactenus Eccleſia captiva fuit, in ſocietate & communione Gogicæ multitudinis, aut, ſi ea diſſuta fuerat, quæſita eſt reconciliatio, ſperata Gogicæ multitudinis emendatio. Fuerat Orbis Romanus tolerans Gogi dominatum antehac *locus, ubi Gentes nutrirent Eccleſiam* hoc eſt, augerent acceſſione electorum ex ipſis. Apoc. XII. ℣. 6. Ex illo *cecidit Babylon & facta eſt habitaculum dæmonum & impurarum avium*, vel, ut cum Ezech. loquar, Barathrum.

Viſa eſt occaſio ſepeliendi Gogum; quòd ſcilicet Ipſe Gogi Senatus in barathrum ſuum Tridenti ſepelivit Gogum & Eccleſiam ejus. Vide &, quomodo Iſraël officio ſepeliendi functus ſit.

VERSV 12. In commune & indiſtinctè id enunciatur. *Et ſepelient eos domus Iſraëlis, ad purgandam terram.* Quemadmodum Tridentini anathema dixerunt Eccleſiæ Euangelicæ, quo ſeipſos à cœtu viventium ſepararunt; ita viciſſim Euangelici omnes doctrinam Tridentinam & qui eam recipiunt, poſt explorationem ſeriam & ſtudioſam in univerſum & particulatim explodent, deteſtabuntur & contra fundamentum fidei (ſine qua nulla vita eſt) eſſe judicabunt: idque facient eo fine, ut cum alienis peccatis nihil habeant commune, ut civitatem Dei expurgent ab hominibus operam dantibus vanitati. Pſal. CI. ℣. 8. Vides Eccleſiæ officium eſſe non magis fraternitatem inviolatam ſervare, quàm ſepelire mortuos. Fœdat enim illorum contactus. Communio peccati contrahitur. Serpit gangræna. Totum corpus inficitur & infirmatur. Volunt quidam nos pacem facere cum Gogo, cum omnibus, qui ſe Chriſtianos vocant. At quomodo nos poſſumus illos excitare ex mortuis? Charitatem hoc ajunt eſſe. At major charitas debetur Deo, ne ipſius nomen profanetur; major fraternitati, ne ipſorum communione contaminentur vel veneno inficiantur; major ipſis, ne dum laudamus eos, ut vivos, faciamus in morte ſua induratiores. Teneatur firmiter iſtud Ierem. XV. ℣. 19. *Redeant illi ad te*, qui diſceſſerunt à te, *& tu ne redeas ad ipſos*, à quibus derelictus es. Notes ibidem, officium illorum, qui volunt

*eſſe ut os* Dei, eſſe, ut *educant Precioſum è Vili:* neque ſinant vivos cum mortuis miſceri. De ſeptem menſibus mox dicam, quum ea, quæ cohærent, abſolvero.

Versu 13. & parte 14. diſtinctiùs dicitur, quomodo Iſraël in eo officio ſudaverit. Nimirum toti Cœtus ſecundùm menſuram doni ſui & præpoſiti ipſorum ſecundùm menſuram doni ſui. De primo loquitur ℣. 13. *Et ſepelient omnis populus terræ; & erit eis in nomen, die, quo glorificabor, ait Dominus Deus.* Ita glorificabor, itaque manifeſtabitur nomen meum, ut nullus de populo futurus ſit, qui non intelligat diſcrimen Iſraëlis & Gogi, & Gogi doctrinam ejuret. Eſai. xxxv. ℣. 8. *Erit ibi Agger & Via* (*Via Sanctitatis* [vel, Via Sanctuarii] *vocabitur*) *Non tranſibit eam pollutus: & is* agger *ipſorum* erit proprius; *qui ambulat viâ, etiam ſtulti, non errabunt.* Patefiet via Chriſtianiſmi, quæ eſt ſancta & ducit ad ſanctuarium Dei, eaque erit munita & exſtructa contra periculum lapſationis & deviationis: quam viam fugiet, Dei judicio, quiſquis impurus eſt & in peccatis mortuus, carens ſpiritu vitæ & ſanctificationis. Sibi ſolis, ſine communione impurorum, habebunt hanc viam. Tam certa & manifeſta erit illa via ut non tantùm ii, qui viam veritatis diligenter quærunt, ſed & quidam rudes, imperiti ac leves non attendentes ad viam ſuam non ſint deviaturi. Conſequens. *Erit ipſis in nomen.* hoc eſt, à repurgatione terræ nominabuntur Reformati, à prædicatione Euangelii Euangelici: exibit hujus reformationis fama in totum mundum, & uti primo odioſi ita poſtea glorioſi fient hoc facto.

De altero loquitur Versu 14. *Et viros perpetuos ſeparabunt Tranſeuntes per terram ſepelientes cum Tranſeuntibus reliquos in facie terræ, ad purgandùm illam.* Iſraël diſtinguitur in Populum terræ & Tranſeuntes ſive Circumeuntes, περιοδεύτας. Hi rurſus in duplex genus dividuntur. Primos, qui ab initio obierint & perluſtraverint terram: & Secundos, qui ſeparandi erunt à populo terræ, ut cum Primis Tranſeuntibus ſive Inſpectoribus obeant terram & cum iis ſepeliant reliquos in terra mortuos.

Miranda ἀφιλότης & candor incomparabilis Prophe-

tiæ hu-

tiæ hujus. Qui non à limine ipſo aberraverit, non poteſt ſententiam hujus ænigmatis ( ſi & ænigma eſt) non videre. Diſtinguuntur à *populo terræ* ii, quorum eſt officium *tranſire* ab uno ad alterum, inſpicere omnia, luſtrare, ſcrutari. Publicum illud officium eſt curæ in totum cœtum impenſæ. Cantic. v. ℣. 7. ſub figura *Vigilum civitatem obeuntium* deſignantur Rectores Eccleſiæ. Hîc non tantùm ad curationem ſingulorum circuire notantur, ſed & ad amovendum omne mortuum & impurans terram. Ordinarii Paſtores ſine dubio intelligendi. Quam pulchrè ab actu ſuo & opere ſuo deſcribuntur! Sunt צֹפִים *ſpeculatores.* Per hoc & Epiſcopi deſignantur Eſai. LVI. ℣. 10. *Epiſcopi illius ſunt cæci.* Ille Gog, illi qui ſe armaturam Gogi faciunt, illi Equites non ἐπισκέπτουσι, *non inſpiciunt.* Tanta enim eſt amplitudo ſæpe ſubditorum, ut nec inſpicere poſſint; & ſæpe abſunt ab illis; aliis ſæpe inſpectionem delegant; non quærunt bonum illorum; non ſciunt quomodo morbos ſanare debeant, vel quomodo ſanus ab ægro, vivus à mortuo diſtinguendus ſit. Illi ſedent, leges ſcribunt, dominantur. Zac. XI. ℣. 16. *Excitabo Paſtorem in terra:* τὰ ἀφανισθέντα (quaſi dicat, malè habentes nec ſpecioſas, ut pro ſanis haberi poſſint) *non viſitabit, excuſſum non quæret, fractam non ſanabit, ſuperſtitem non ſuſtentabit: ſed carnem opimæ edet, & ungulas earum lacerabit.* At hi ſunt עֹבְרִים *tranſeuntes.* Non NOMINE ſed RE & actu Epiſcopi, curantes gregem, ne qua impuritate inquinetur, *inſpicientes, ne quis ſit expers gratiæ Dei* & ſegnitie ſua ad eam non perveniens, *ne qua radix amaritudinis ſurſum excreſcens vexet, & per illam polluantur multi.* Hebr. XII. ℣. 15. Non poterant meliùs à Gogo & Equitibus ejus diſcriminari: non poterat ipſis fortiùs nomen Epiſcoporum ab inſeſſoribus Eccleſiæ præreptum, quam argumento *Operis* ipſius ( 1 Tim. III. ℣. 1.) vindicari. Hi ſunt Epiſcopi, qui inſpiciunt, qui obeunt, qui luſtrant, qui curant. Sed præter eos, qui ita luſtrant, ut doceant, ſignantur hîc alii *Tranſeuntes*, *viri perpetui à populo terræ ſeparati:* אַנְשֵׁי תָמִיד LXX. ἄνδρας διαπαντός. quemadmodum &

dicunt

Digitized by Google

dicunt πῦρ διαπαντὸς, θυσία διαπαντὸς, ἄρτοι οἱ διαπαντὸς, ὁλοκαύτωσις ἡ διαπαντὸς. Idem per genitivum ἐνδελεχισμοῦ enuntiant. Id, quod omni tempore manet uniforme, mutatis individuis, in ſuo genere, per talem phraſin ſignificatur. Ita panes propoſitionis ſunt *panes perpetui* per quotidianam renovationem. *Juge ſacrificium* quotidie inſtaurabatur. Et, ut propiùs ad rem, qui ſtationes obeunt, ſunt ἄνδρες διαπαντὸς, ἄνδρες ἐνδελεχισμοῦ. Nunquam enim non viri iſtiuſmodi in ſtatione ſunt. Sunt igitur (neque aliter eſſe poteſt) *viri* iſti *perpetui ſeparati à populo terræ*, ut cum Tranſeuntibus tranſeant, presbyteri non quidem laborantes in verbo, ſed tamen habentes donum κυβερνήσεως, *gubernationis* & ἀντιλήψεως ſive *opitulationis*, lecti ex populo, ut cum Miniſtris verbi curent & viſitent Eccleſiam non tantùm in publica congregatione, ſed etiam domatim; qui, expleto tempore miniſterii ſui, locum aliis faciunt: ut ita, perſonis mutatis, integrum & uniforme ſemper ſit Presbyterium. Qui Epiſcopum μονήρη ſive μονάρχην (*unicum* presbyterii principem) ſe confidunt poſſe excludere ex epiſtolis Apocalypticis, quæ inſcribuntur *Angelo* Eccleſiarum ſingularum (quum tamen Singularis ſæpiſſimè collectivè loco pluralis veniat uſurpatus) ii quomodo noſtram hanc expoſitionem vituperare poſſint, planè non video. imprimis quum illa tam ſimplex ſit, tam evidenter ſibi reſpondentem habeat rem, ſit fundata in ſcriptura & primitiva regiminis Eccleſiaſtici conſuetudine; & nulla alia expoſitio niſi abſurda dari poſſit. Quiſquis es, Lector; depone pauliſper præjudicium, & quid dicat Propheta, mecum expende. Sepultura Gogi vel propriè & ſine metaphora intelligenda eſt, vel metaphoricè; ut nos explicavimus. Non propriè & ſine metaphora. Rationes has do. 1. quia tum combuſtio telorum ſimiliter propriè & ſine tropo erit intelligenda. At talis interpretatio abſurda eſt. Nunquam enim tantus exercitus congregatus eſt aut congregari poteſt, ut uni paulò ampliori familiæ vel, ſi ita vis, decem familiis lignea eorum arma ad fovendum ignem vel anno vel biennio, ſufficiant: multò minùs ſeptem annis, & quidem ut non ferantur ligna ex agris ſylviſ-

que à populo integro. Neque unquam tale quid factum eſt. Factum enim eſſe oporteret. Prophetia enim non quid fieri poſſit, ſed quid futurum ſit, prædicit. 2. quia ſepultura Gogi vel ſub V. Teſtamento, vel ſub Novo Teſtamento facta eſt. At ſub Novo Teſtamento non eſt Iſraël carnalis in ſuis urbibus habitans: neque unquam tale quid narratum eſt; neque purificatio terræ ſub Novo Teſtamento quæritur. denique ſic jam diſcederetur à proprietate. At nec ſub Veteri Teſtamento facta eſt. Si enim facta eſſet, poſt captivitatem Babylonicam, & quidem non ſtatim, ſed in fine dierum facta eſſet. At nihil tale imminente Chriſti adventu. Solum reſtat tempus Antiochi. Atqui hoc non in fine dierum. Neque in unam vallem ſepultus fuit Gog cum ſuo exercitu. Neque quæſiverunt terram purgare Maccabæi, ſed eam reliquerunt gentilibus. Neque totus populus incubuit ſepulturæ per ſeptem menſes. Neque id unquam factum eſt, ut ſepultura quamvis numeroſiſſimi exercitûs longo tempore fieret, aut à toto populo uno menſe abſolvi non poſſet, imo ut legerentur homines, qui poſt ſeptem menſes veſtigarent cadavera. Et ridiculum eſt, notam & monimentum ædificare apud cadaver vel os hominis, donec ſepeliatur. 3. quia propriè exponi non poteſt τὸ *Sepelire nomen urbis Hamonáh.* Atqui ſimiliter propriè hoc exponendum eſſet. 4. quia quum de clade Gogi & occidione propriè dicta agit prophetia, tum invitat volucres & beſtias ad multùm epulandum. quod fieri ſolet inſepultis cadaveribus. Nam ſi unum propriè accipis, quare non & alterum? Imò ſic ex hypotheſi propriæ ſepulturæ accipiendum erit. Si enim propria ſepultura erit, ergo Iſraëlitæ Gogitas cædent: ut Maccabæi Antiochi copias cæciderunt. Quod ſi eſt, per volucres & beſtias nihil niſi volucres & beſtiæ intelligi poterunt. Quæ ſi multum ſanguinis bibent & multum carnis vorabunt, non accelerabitur ſepultura toti populo & delegatis inquiſitoribus; ſed, ut ſolet, poſt prælium ad tempus jacebunt inſepulti. Concludendum igitur, non propriè dictam ſed metaphoricam ſepulturam notari. Quod ſi verum, nulla dari poteſt metaphoræ expoſitio, quæ non abſurda ſit, vel ſenſu recidat in combuſtionem armorum,

Digitized by Google

armorum, niſi ut intelligamus, judicium Eccleſiæ de Gogo & cœtu ejus, quòd ad mortuos pertineant, non ad vivos, propter doctrinam quæ non eſt conveniens nomini Dei in Scripturis patefacto; & excluſionem omnis fermenti doctrinæ ex Eccleſia. Jam cùm hoc judicium futurum ſit tum ab Eccleſia integra, tum à quibuſdam ab uno ad alium & ſic ad omnes tranſeuntibus, quo vocabulo ſignificantiſſimè inſpectio & viſitatio ſingulorum notatur; convenit hos notari, quorum id non tantùm officium eſt, ſed & opus; hoc eſt, qui revera actu officium hoc implent. Sunt autem iidem hi diſtinguendi ab Arboribus agri & Sylvæ, ut perſpicuè demonſtratum eſt. Non ſunt igitur alii, quàm miniſtri verbi iique non inſigniti Epiſcopali titulo ſed officium inſpectionis & ſuſtinentes & exequentes. Quum igitur illis alii adlegantur ex & à populo terræ, qui cum ipſis ſepeliant omnem fœditatem & impuritatem, ut terra munda ſit, conſortes regiminis alîus generis, non docentes ſcilicet, non poſſunt non intelligi; & quidem ii, qui perpetua inſtauratione & ſubrogatione uniforme collegium Ephororum exhibeant.

Supereſt ut ex VERSV 12. & VERSV 14. de *ſeptem menſibus* aliquid addamus. Vbi ſimul (11) de actu altero Expurgationis ſive ad Expurgationem comparato agendum erit, nimir. de SCRVTATIONE. *Domus Iſraël ſepelient eos* (Gogum & turbam ejus) *ſeptem menſibus* [ſive *ſeptem menſes*] &, *à fine ſeptem menſium* SCRVTABVNTVR. Primò res reperienda eſt, quæ per *ſcrutationem* notatur diſtinctam à ſepulturâ Gogi & turbæ ejus communiter adminiſtratâ. Vbi res ea reperta fuerit, temporis modus facile reperietur, & repertus obſignabit expoſitionis veritatem. Neq; enim ex tempore res, ſed ex re tempus deſignandum eſt. Res igitur hæc eſt. Domus Iſraël tum in univerſum tum per presbyteria concorditer ſepelient Gogum per tempus aliquod: quo tempore elapſo incipient ſibi mutuò eſſe ſuſpecti & in ſe inquirent, ſi forte ſit aliquis, qui nomen habeat, quòd vivat & ſit mortuus. Apoc. III. ℣. 1. Antequam id quæramus in hiſtoria, clarum hujus rei teſtimonium producamus ex Apoc. XIV. quum Euangelium æternum prolatum prædica-

prædicatumque eſſet, ℣. 6. hoc eſt, Veritas Euangelii deinceps nunquam opprimenda, de ſolo Deo in Chriſto adorando, eſſet promulgata & recepta: ſecutus eſt Angelus nuncians caſum Babylonis, ℣. 7. hoc eſt, Secuta eſt in Eccleſia prædicatio & demonſtratio, quòd Romana Eccleſia deſierit eſſe Eccleſia Dei, cum qua, ut ut depravata, antea quidem communio utcunque haberi aut quæri potuerit, nunc autem non poſſit, quandoquidem poſt tot admonitiones permaneat in ſuis erroribus, ſuaſque doctrinas æquiparet verbo Dei, eaſque pro fundamento ponat, ſeque à cœtibus ad puriorem veritatis cognitionem adductis anathemate ſeparaverit, ℣. 8. Hæc eſt ſepultura Gogi in vallem Turbæ Gogi. Secutus eſt tertius angelus denuncians omni communicanti cum Beſtia & recipienti notam ejus eaſdem pœnas, quæ Beſtiæ inflictæ aut præparatæ ſunt. ℣. 9, 10, 11. Hæc comminatio convenit cum invitatione ſive admonitione, quæ extat cap. XVIII. ℣. 4. *Et audivi aliam vocem ex cælo dicentem: Exite ex illa, popule mi, ne communicetis peccatis ejus.* Et eſt eadem interminationi adjunctæ; *& ut ne accipiatis de plagis ejus.* Ex quibus teſtimoniis apertum eſt, fuiſſe etiam poſt Caſum Babylonis, hoc eſt, ſeparationem illius plenam & abruptionem ſui à communione Eccleſiæ, quoſdam inter Euangelicos, qui hoc aut illud Pontificium retinuerint & cum peccatis Babylonis, quæ ſunt Scortatio & Homicidium, ſive Superſtitio (quæ Idololatriæ cognata eſt) & Perſecutio, quæ vel fit Damnatione veritatis profeſſorum vel eorundem vexatione aut etiam extirpatione, communicaverint. Hiſce peccatis communicat, qui doctrinæ partem quamvis è Papatu retinet, & propter eam fratres odit, damnat, affligit, vel etiam occidendos Pontificiis prodit. Vtinam verò non & manus apertè illis jungerent & exterminandis innocentibus unâ operam darent!

Reſtat, ut de tempore dicamus, *de ſeptem menſibus.* Primò autem non poſtulo, credi noſtræ expoſitioni, niſi aliquid melius & veriſimilius & certius attulero, quàm illi, qui dicunt, ſeptem menſes ſepulturæ propriè dictæ intelligendos eſſe per hyperbolen: quia ſcilicet ad multitudinem ſignificandam Scriptura ſeptenario uti amet.

Interim

Interim tamen, ſi fortaſſe accuratè tempus ipſum indicare nequivero, ii, qui alteram expoſitionem ſequuntur eam æquitatem mihi præſtabunt, quam ſibi præſtari poſtulant. Dico igitur, etiamſi tempus ipſum ignoratione hiſtoriæ vel defectu hiſtoriæ in quadam re parva nos lateat, rem ipſam tamen manere certam. Et ſic credimus Chriſtum veniſſe ſecundùm prophetiam Danielis cap. IX. quæ 70. ſeptimanas deſignat. quia omnia quæ de Chriſto, urbe & populo dicuntur, impleta ſunt: &, quia tempus ipſum, quocunque modo numeretur, non poteſt tamen ita numerari, ut terminus non præterfluxerit dudum. Si igitur in tam notabili prophetia terminus verus vel ignoratur vel diſceptatur, & tamen res extra dubium eſt; in ſimilibus & non tanti momenti rebus major ἀκρίβεια requirenda non eſt. Ita ſeptuaginta annos captivitatis diſtinctè forte nemo ita oſtenderit, ut neminem habeat diſſentientem; & tamen de re ipſa nullus in mundo neque Iudæorum neque Chriſtianorum dubitat. Sed propiùs ad rem. Primò ajo, rectè habere ſe generalem expoſitionem, ut *ſeptem menſes* dicatur pro tempore aliquanto non magno: & quidem in comparatione *ſeptem annorum*, quibus fiet combuſtio telorum, & ejus temporis, quo durabit SCRUTATIO. Diu enim illa durat. Ita ſenſus erit, Initiò quidem unà totum Iſraëlem ſepeliviſſe Gogum, ſed paulò poſt incepiſſe inter ſe ſcrutari, num quid mortuum ſit. Deinde dico, *Menſes ſeptem* vel propriè accipi poſſe vel ænigmaticè. Et in ænigmate quidem ſi *dies* pro *anno* poneretur, (ut aliquando fit; verbi cauſa in 42. menſibus Apocalypticis) abſurditas & in re ipſa & in comparatione *ſeptem annorum* oriretur. Vel enim *anni ſeptem* facerent annos 2520. (quod incredibile, & hiſtoriæ non convenit) vel *ſeptem menſes* majus tempus notarent, quàm *ſeptem anni*. Quod æquè non convenit. Reſtat, ſi ænigma ſit, ut in proportione numeri majoris, Septuaginta annorum ſignificatorum per *ſeptem annos*, *ſeptem menſes* efficiant quinque annos & ſi quid amplius, nimirum 10. menſes; verbo, prope ſexennium. Terminus *à quo* maximè veriſimilis eſt, ex quo in Valle multitudinis Gogi Gog à ſuis ſepultus fuerit. Poteſt au-

E tem

tem hoc factum videri tum primo decreto, quo ſancivit falſam doctrinam, ſeſſione tertia, Anno 1546 die 5 Aprilis. quod conſuetudines Romanas à Papis approbatas, opinioneſque Eccleſiæ Romanæ ab eiſdem confirmatas, ſub nomine *traditionum à Chriſto & Apoſtolis acceptarum pari pietatis affectu & reverentia ac Scripturas ſuſcipit ac veneratur*; idque faciendum ſub anathemate præcipit: quod Canonem facit eique non Canonicos libros infercit: quod Latinam verſionem facit authenticam: quod Scripturam & Spiritum ſanctum detrudit ab officio convincendi mundum & docendi Eccleſiam, dum illam ſubjicit interpretationi matris Eccleſiæ, hoc eſt, ſuæ, ſuam Papæ. Poteſt etiam ab iis Actibus origo duci, quę Synodi diſſipationem, factam anno 1552. præceſſerunt, item quo fuit finita. Controverſia de S. Cœna à Ioachimo Weſtphalo reſuſcitata eſt, Laurentio Surio teſte, Anno 1552. qui eſt annus ſextus poſt ſeſſionem tertiam Concilii: & annus non totus poſt ſeſſionem 14. qua ultimò, ante diſſipationem, plurima decreta & canones editi ſunt: poſtquam etiam die 24 Ianuarii 1552. Legati Mauricii & Wirtenbergenſes & Argentinenſes tum libera oratione tum confeſſione propoſitâ, multa Decreta Synodi ſuperioribus annis facta cum Scripturis pugnare declarantes eaque retractari poſtulantes, in ipſa illa Valle Gogi in congregatione Generali in ædibus Legati Pontificii junctim Gogum imprimis (quem ut adverſarium accuſabant & judicem recuſabant) & omnem cœtum ejus ſepeliverunt. Hæc autem controverſiæ de Cœna renovatio deinde anno 1555. Bremæ herbas dedit, & *ſcrutationem* fratrum non perfunctoriam poſt ſe traxit; effecitque ut fratres fratribus dicerent hoc, quod ex Apocalypſi citavimus: *Exite è Babylone*, &c. Solet autem ſic fieri, & ita fieri neceſſe eſt, ut ſint hæreſes & ſingularium opinionum defenſores, quò probi manifeſti fiant. Ita ſententiæ non fundatæ & erroneæ, earumque defenſio importuna ſcrutationi mutuæ anſam præbet. Negari autem non poteſt, hujus dogmatis de Corporali præſentia Chriſti in Cœna ejuſque manducatione orali feciſſe Eccleſiæ partes ſibi invicem ſuſpectas, diuque ac variè exploratum fuiſſe,

quo

Digitized by Google

quo animo & ſenſu illud dogma tuerentur errantes, & an omnes ita illud tenuerint, ut propterea pro mortuis habendi, & ſepeliendi eſſent. quod hactenus non factum eſt de omnibus non pertinacibus & malè intelligentibus ſuorum doctorum & alterius partis verba, vel myſterium ipſum (ut revera eſt incomprehenſibile unionis noſtri cum Chriſto myſterium) ſupra captum eſſe fatentibus; & vel fraternitatem non denegantibus, vel ſaltem ex graviori cauſâ præſumtâ non probatâ aut exploratâ denegantibus, non quod dogma hoc pro idolo in Eccleſia conſtituerent, aut ex eo federis novi ſubſtantiam fideique ſalvificæ primarium aut omninò neceſſarium objectum facerent. Manet igitur ſcrutatio & vitæ in diſſidentibus pertentatio, pertinaciumque & idolum ponentium à malè informatis & iis, qui aliis non præjudicant, diſcretio: ut ſtatuamus propter idem dogma alios quidem mortuos, alios autem eoſque plurimos tantùm ægros. Quod judicium, ut tutius, in pleriſque præferimus. Si finem Concilii ſpectes, eſt in quo veret Prophetiæ applicatio. Vltima ſeſſio vel habita vel continuata eſt anno 1562, die 4 Decembris. Anno 1563 26 Ianuarii Pius Papa confirmavit. Anno 1564. Maulbrunnenſe colloquium habitum eſt inter Lutheranos & alios Euangelicos de præſentia corporis Chriſti in ſacra cœna. Anno 1568, menſe Octobri inchoatum eſt Colloquium Altemburgenſe de Iuſtificatione & bonis operibus, in quo ſe Euangelici ſcrutati ſunt mutuò, utrum fundamentum tenerent, an cum Pontificiis quidam ab eo diſcederent. Intercedunt quinque anni & decem menſes ab ultima Synodi ſententia uſque ad dictam fratrum ſcrutationem de præcipuo fidei Chriſtianæ articulo. Et ſic impoſterum manſit cum ſuſpicionibus, cum innovationibus formularum loquendi & retentione vetuſti erroris ſcrutatio & exploratio fratrum, an in Chriſto ſint. Sed hîc rogo peritos hiſtorię Eccleſiaſticæ, ut ſi quid certius habeant, communicent; quia neceſſe eſt in numero non ſolvi prophetiam, quæ in re ipſa tam evidenter impletur: æquos verò Lectores obſecro, ut cogitent, articulorum temporis præciſam determinationem non eſſe exigendam, ubi hoc vel illo modo

determinatio commodè fieri poteſt, vel etiam indeterminata ſignificatio, terminum præterpropter indicans, eſt commoda, vel etiam, utcunque fiat determinatio, evidentia rei oſtendit, hoc actum eſſe vel agi, quod prophetia dicit, licèt obſcurum ſit, quod ſit verum ejus rei gerendæ initium. Et hæc de temporis determinatione, ut & de actu altero Expurgationis nimirum SCRVTATIONE puto ſufficere.

III. Expurgationis actus Tertius eſt diſtinctus his quaſi partibus, 1. Animadverſione Sceleti. 2. ædificatione monimenti juxta illud. 3. ſepultura ſceleti. Verba ſunt VERSV 15. *Et tranſibunt Tranſeuntes per terram, & conſpicietur Sceleton hominis; & ædificabitur juxta illud Monimentum, donec ſepelient illud Sepelientes in Vallem Turbæ Gogi.* Proteſtor, antequam quicquam dicam de ſenſu hujus verſiculi, me nihil cogitaviſſe de ſubjecto prophetiæ, antequam coëgit me ipſa Prophetia de hoc cogitare; ne quis me odio illorum hæc infarſiſſe & vi intuliſſe in expoſitionem conqueratur. A qua cauſa quàm longè abſim & ego optimè novi & argumenta probare poſſent. Interim niſi ipſe rerum ordo & prophetiæ cum re convenientia me ab illa criminatione excuſent; nihil cauſæ dico, cur non iniquus cenſor habear.

In tranſlatione Hebraiſmum mutavi in phraſin, quam fert Latinus ſermo. Hebræi enim agnoſcunt impersonale verbum activum ſingulare in tertia perſona: non item Latini. Germani imitantur præpoſito *Men*, Galli præpoſito *on* vel *l'on*. *Men ſal een Menſchen gebeente ſien, ende daar beneven een teyken bouvven. On verra, on baſtira.* Hæc eſt ſimpliciſſima verſio, & alia omnis contorta. Æquivalet autem ſenſus paſſivus, ut expreſſimus. Præterea עֶצֶם *os* verti *ſceleton.* Aptius enim eſt & magis ad rem ſingularem collectivè accipere. Ita ſæpe accipitur, non pro uno oſſe, ſed pro compage oſſium. Vide Iob II. ℣. 5. XIX. ℣. 20. XXX. ℣. 30. Pſal. CII. ℣. 7. Thren. 4. ℣. 8. Prov. XV. ℣. 30. צִיּוּן *Tſyun* verti *hermam & monimentum.* Adhibetur in Scripturis notando ſigno in agro viavè poſito ad quidvis deſignandum.

Digitized by Google

dum. Ier. XXXI. ℣. 21. item tumulum mortuo ſuperingeſtum, aut notam tumulo impoſitam. 2 Reg. XXIII. ℣. 17. Syntaxin quod attinet, ſimplicitas Hebræa dicens, *Et tranſibunt*, *&* *videbit* hoc eſt, videbitur, &c. hunc ſenſum gignit: *Dum Tranſeuntes* ſive Ephori & Luſtratores Eccleſiæ functione ſua fungentur & opus inſpectorum facient: tum conſpicietur, &c. Procedente ſcrutatione terræ Deus ita benedicet Paſtoribus & Rectoribus Eccleſiæ, ut licèt propter infirmitatem aut negligentiam aliquandiu venenum lethale in occulto graſſatum ſit, tandem tamen in apertum veniat & detegatur Sceleton hominis, hoc eſt, Doctrina, quæ non eſt conſentiens cum fide electorum Dei aut pietate, in quibuſdam animadvertetur. Reperientur quidam, ſub figura hominis, mortui. Hominis figura erit in ipſis, quoad exteriora, profeſſionem ſcilicet Chriſti, ut ſe ab illo denominent, & converſationem forte etiam in quibuſdam rebus honeſtam, ſed nullum ſpiritum, nullam vitam in ipſis invenient; aut ſaltem, ſi ſecundùm doctrinam ſuam æſtimandi ſunt, pro mortuis erunt habendi. Neque enim de fide illorum, quam habent in corde, & de fiducia in Deo ac gratia ejus nos poſſumus judicare; ſed tamen hoc, & non aliud, præſumuntur credere, quod profitentur. Tales quum animadvertent ſive Tranſeuntes, ſive etiam Alii, ut ita in Tranſeuntium veniant notitiam, quid tum fiet? Duo fient. 1. ædificabitur juxta herma aut monimentum. Ad quid? Vt viator caveat & non contaminetur per eos. Quid igitur hoc? Magna mole de dogmatibus iſtis mortuis (neque enim ſunt λόγοι τῆς ζωῆς *verba vitæ*) diſputabitur, admonebunt multi, refutabunt, opponent doctrinam doctrinæ, ut quivis intelligat, illam doctrinam non eſſe doctrinam vitæ. 2. denique ſepelient Sepelientes. hoc eſt, illi, qui ad ſepeliendum lecti ſunt. intellige Paſtores & Rectores Eccleſiæ de illa doctrina judicabunt, quòd extra Eccleſiam, terram viventium, eliminanda ſit, & in ea ſonare non debeat: quòdque illi, qui pertinaciter eam doctrinam propugnant, inter fratres habendi non ſint. Hactenus in genere & quaſi de individuo vago locutus ſum. neque quis à me exſpectet, ut ad individuum ſignatum

tranſeam. Nolo confundere & exacerbare,ſed admonere, & (ſi fieri poſſit. O utinam det Deus! ) è verbo Dei clariſſimo eos erudire & emendare. Patiantur,quęſo,quicunq; illi ſunt, quos hîc denotatos exiſtimo,nos exquirere in prophetiis, quæ de viſitationis noſtræ tempore dicta ſunt, & diligenter ruminare. Credant, nihil certius de veritate Eccleſiæ & religionis ſtatui poſſe, utut ſubtilis ſit λογισμὸς humani ingenii, quàm quod Dei prænunciatione ſubnixum eſt. Nihil enim factum eſt, nihil ſit, nihil fiet in Eccleſia, quod non ſit præſcriptum, & ſuo quidem ordine. Neque putet quis extra veram Eccleſiam poſſe interpretationem prophetiarum eſſe. Audiebant olim Iudæi ab Apoſtolo, quod eſt Actor. XIII. ℣. 40. *Videte, ne vobis ſuperveniat quod dictum eſt in Prophetis: Videte, ô Contemtores & admiramini & diſparete*, &c. Vide & tu, ne in ſimilem incidas typum judicii, qui quum ex prophetia (quæ tamen unicum fuit inſtrumentum plantandi Eccleſiam & erit erigendi & propagandi) admoneris, tollas cachinnum, damneſque Spiritum ſanctum, quaſi aliquid tanquam λοξίας dixerit nulli intelligibile & naſi cerei inſtar in omnes ſenſus flexile. Sed Deus quidem ubi revelabit oculos iſtorum, videbunt mortem ſuam & ad vitam aſpirabunt ( Potens eſt enim Deus illos excitare, Ezech. XXXVII. ) quemadmodum eos eſſe mortuos non niſi Deo oculos aperiente cognitum eſt. Sed liceat aliquantulum in hoc loco morari.

Obſervo I. Non omnes, qui ſepeliunt Gogum, ut mortuum, alioſve mortuos ſpiritualiter, ipſi ſunt vivi. Primò quoad vitæ fontem, quæ eſt fides in Deum in Chriſto nos ſervantem. Licèt enim factum ſit, ut & *ſtulti viam ſanctitatis* agnoverint, ut *non errarent* & deviarent ad סֵטִים *declinantes*: tamen ipſi verè ſapientes omnes non ſunt facti. Licèt etiam dicatur, *impuros non tranſituros iſtâ viâ*, Eſai. XXXV. non ſequitur tamen, omnes qui eam viam agnoſcunt,eſſe ſanctos. Sed is tantùm & ſapit & ſanctus eſt, qui *ambulat* ea *via*. Multi enim agnoſcunt viam, & hactenus non ſunt deſipientes vel impuri, quia non blaſphemant viam veritatis,neque

ſe con-

Digitized by Google

ſe contaminant peccatis defectorum ; interim viam agnitam non verè inſiſtunt & tenent. Ita fieri poteſt, ut ſepeliens alios mortuos & veritatis tenens profeſſionem nihilominus ſuo tempore non ſit compariturus inter vivos. Secundò quoad vitæ veræ doctrinam, quæ τύπος & μόρφωσις *forma & deſcriptio* eſt pietatis. Alii enim aliis meliùs, perfectiùs, planiùs myſteria pietatis explicant. Manet in quibuſdam ignorantia, in aliis privata opinio de hoc aut illo doctrinæ capite, alii periculoſis formis loquendi non abſtinent, dum vel verbis Scripturæ non utuntur eo ſenſu, quo Scriptura, vel ſibi nimium indulgent in phraſibus humanæ adinventionis ad res ſacras adhibendis.

Obſervo II. Tales defectus in cognitione veritatis & ſermone de myſteriis verbi gignere pravas opiniones; quæ etiam ſæpe ipſum fundamentum fidei convellunt. Ex plurimorum vivorum nævis toleratis ad tempus colligi hominum vitio corpus doctrinæ mortuæ.

Obſervo III. Divina providentia fieri, ut periculoſæ opiniones & phraſes in vomicam quaſi colligantur: quò faciliùs poſſint ejici ex corpore Eccleſiæ. Gignuntur quidem diſſidia, lites, ſchiſmata, & in iis, fateor, utrinque peccatur ſæpe : ſed tamen Deus interim, quod ſuum eſt, agit, qui *Sordes Tſyonis* Eſai. IV. vult expurgari.

Obſervo IV. Omninò diligenter eſſe cavendum à talibus, neque unitatem Eccleſiæ in cothurnis verborum eſſe quærendam. Ex quibus nulla pax ſperanda eſt; certè quidem ædificatio ſic ſiſtitur; & *veritas* ſinceritaſque *Euangelii,* quæ niſi una eſſe non poteſt, occultatur & inhibetur, cum injuria Dei & Eccleſiæ; & denique pro vivis hominibus ſceleta hominum in Eccleſiam coacervantur.

Obſervo V. Officium illud eſſe Inſpectorum Eccleſiæ, ut omne, quod ægrum mortique vicinum eſt, ſive doctrinam ſive mores concernat, diligenter notent & animadvertant; neque eſſe inſpectionem relinquendam uni homini.

Obſervo VI. Poſſe Eccleſiam repurgari à non-ſanis dogmatibus etiamſi non ſit Papa. Hîc enim multi Tranſ-

euntes ſive Speculatores & multi Sepelientes, non verò Vnus ſolus Speculator & Sepeliens, memorantur.

Obſervo VII. In eliminatione dogmatum proceſſum legitimum retinendum eſſe. Et quidem hoc ordine. 1. Vt quis *videat* Sceleton hominis. Oportet te ipſum bene exploratam habere doctrinam ſanam & in conſcientia eſſe convictum de repugnantia doctrinæ rejiciendæ; ideoque bene & accuratè ſenſum ejus & ipſum primum ejus ψεῦδος cognoviſſe. Neque enim propter phraſin unam atque alteram ſtatim univerſa alicujus doctrina damnanda & infamanda eſt, ſi non cum omnibus principiis & ſequelis errorem quis ſit amplexus. 2. Vt quiſque pro ſe, quemadmodum accepit donum à Deo, moneat, doceat, confutet, convincat; ſi forte poſſint excitari è ſomno ſuo, & non mortui ſed ſoporati comperiri; aut Deus ipſis det è mortuis reviviſcere: ſaltem ut, qui vivunt, ſibi caveant. Hoc eſt in prophetia *Notam juxta* ſceleton *ædificare*. Tenendum hîc, debere iſtam admonitionem inſtitui in ſpiritu lenitatis, ut ſit nota, non rota aut crux. Item debere id, quod contra ſceleton exſtruitur, verè eſſe Notam, quæ fidem facere poſſit, illud, quod notatur, eſſe ſceleton, & diverſam doctrinam eſſe doctrinam ſanam: hoc eſt, *manifeſtationem veritatis ad conſcientias*. Talem *notam* alibi appellat Scriptura *Tabulam cedrinam* (Cant. 8. ℣. 9.) quæ nihil aliud notat, niſi Explicationem Scripturarum. 3. Vt ab omnibus denique, poſt ſufficientem admonitionem, oppoſita falſitati veritas ſtabiliatur. quam ſi non receperint diſſentientes, per ſe planum eſt, per veritatem eſſe ſepultam falſitatem. Et hunc gradum Prophetia ſic deſignat: *Donec illud ſepeliant Sepelientes.* Actus communis multorum conjunctorum ſatis apertè notatur. Atque id inde liquet, quòd ædificatio notæ (quæ per ſingulos fieri poteſt) à ſepultura diſtinguitur; quæ niſi conjunctim fieri non poteſt.

Obſervo VIII. Eſſe officium Paſtorum & Rectorum non tantùm *videre* corpus mortuum in Eccleſia, neque tantùm confutare, admonere; quod eſt *notam juxta ædificare*: ſed etiam *ſepelire*, ſive inemendabiles ex cœtu ejicere, & doctrinam ipſam exitialem rejicere. Clariſſimum

Digitized by Google

mum enim eſt, 1. quoſdam ℣. 14. ad hoc ipſum deligendos dici, qui id faciant cum Ephoris jam conſtitutis, ut poteſtatem illam habentibus; fiantque illorum Coadjuvæ. 2. dici, hoc ipſis committendum eſſe, ad purgandum terram, &, eo facto purgatum iri terram. Si autem hoc facientes peccarent, ſanè non purgaretur terra, ſed inquinaretur. Peccarent autem non tantùm illi, qui iſta poteſtate uterentur, ſed etiam illi, qui eam poteſtatem, legitimo ordine & modo (uti dictum eſt) exercendam, eis committerent. Quæ certè inquinatio Terræ foret.

Obſervo IX. Eſſe in Eccleſia legitimum tum cœtum Presbyterii, tum Claſſium, tum Synodorum. Nam 1. ſocietatem plurium in eodem opere humationis Prophetia indicat diſertè: ℣.14. *ſepelientes* CUM *Tranſeuntibus.* 2. uniformitas actus id confirmat. Niſi enim Paſtores & Rectores cœtum facerent in particularibus Eccleſiis, iique in tractibus, regionibus, provinciis, nationibus congrederentur, perque Delegatos Eccleſiæ diverſarum nationum communicarent, uniformiter Humatio & Rejectio inutilium dogmatum fieri non poſſet (Alius enim rejiceret, alius non,) atque ita nec purgaretur terra (quippe non parili ſuffragio rejicerentur errores) imò nec revera eſſet Humatio. (quis enim, quod unus vel alter rejicit, à tota Eccleſia rejectum cenſebit? Nam ne unus quidem Paſtor ex una particulari Eccleſia unum improbum hominem vel unum dogma ejicere poteſt ſine conſenſu collegarum; multò minùs pauci privatim judicantes ex toto Eccleſiæ corpore) denique Humatio ab Ædificatione Notæ, quæ Prophetia perſpicuè diſtinguit;nihil differret: hoc eſt, nihil intereſſet inter ſingulorum Demonſtrationes & Rejectionem Dogmatis per Antitheſin Veritatis. Eſt profectò magnum abſurdum, ſingulis Paſtoribus dare poteſtatem docendi, monendi, conteſtandi, & conjunctis non dare poteſtatem rejiciendi falſitatem contrariam veritati receptæ omnibus; aut vel ſingulis dare poteſtatem eliminandi malos mores aut prava dogmata ex Eccleſia, vel nullis etiam dare. Quorum tamen alterutrum neceſſariò ſequeretur, ſi Presbyteria, Claſſes, Synodi non ad-

 mittan-

mittantur. Sed ea de re pleniùs & ex profeſſo his diebus ſcripſit Cl. D. Spanhemius S. Theol. D. & P. celeberrimus.

Obſervo X. Sæpe in ſepeliendis & rejiciendis dogmatibus errare Eccleſiæ miniſtros. Nam, ecce, illi, quibus datus eſt locus in Valle multitudinis Gogi, dum ſepeliunt, ſepeliuntur, hoc eſt, dum veritatem rejiciunt per ſtabilitionem falſitatis ſemetipſos oſtendunt mortuos.

Obſervo XI. Solius Dei eſſe efficere, ut Eccleſia repurgetur, & ſepeliantur, quæ ſepelienda ſunt, non ſepeliantur ea, quæ ſunt vitæ & ſaluti connexa. Icircò non eſſe requirendam autoritatem & ſapientiam humanam ad uniendam & repurgandam Eccleſiam; ſed debere nos eſſe contentos ordinario miniſterio verbi; cui Deus vult benedicere: certè quidem ita per illud vult Eccleſiam regere, ut nunquam deſinant eſſe, qui veritatem fundamentalem doceant, ut Eccleſia ſervari poſſit.

Obſervo XII. Ingens firmamentum cauſæ bonæ & præjudicium contrariæ eſſe in Prophetiarum teſtimonio de iis rebus, quæ in Eccleſia aguntur; de quibus homines inter ſe litigant: ſive ſenſum illorum generalem in theſi conſideres, ſive etiam ad hypotheſin per legitimam & ſufficientem demonſtrationem deſcendas.

Non dubito, quin, qui hæc legent, quibuſque non ignotum eſt, quid in Eccleſia Reformata ante annos viginti ſex factum ſit, intelligant de quo Actu Eccleſiæ loquatur Prophetia; dummodò admittatur Gogi Sepulturam eſſe rejectionem doctrinæ Papanæ.

Adhuc tamen video dubitari poſſe, utri parti (quia ſchiſma factum eſt) atteſtetur Scriptura de humatione Cadaveris. Vtraque enim pars præſumit, ſe errores noxios & peſtilentes rejeciſſe.

De hoc non dicam multa, neque circumſtantias prophetiæ in ſubſidium vocabo (quæ non notat Eccleſiæ Reformatæ defectionem, ſed repurgationem; eamque Eccleſiam vocat Iſraëlem, quæ impetum ſuſtinuit & ſuſtinet Gogi) neque quòd manifeſtum eſt cujus partis dogmata magis conſentiant cum iis, quæ inter Pontificia dogmata ſunt rejecta & ſepulta (in quibus licèt per omnia

omnia non conveniant ipſi Papiſtę, tamen in radice conveniunt aliquo modo; & utcunque diſſentiant, tamen hactenus præſupponitur, non eſſe mortale, hoc vel illo modo ſentire. quod ipſum ignorationem veritatis arguit) ſed tantùm iis, qui ſe ſentient notatos, offeram ipſorum ſpeculum ex 2 Pet. II. ℣. 17, 18, 19, 20, 21, 22. *Hi,* (loquitur in prophetico catalogo corruptelarum Eccleſiæ Novi Teſtamenti, quem cap. II. contexere inſtituit, more prophetarum δεικτικῶς vel indigitativè. q. d. Ecce, alii prodeunt corrumpentes viam pietatis. Hi autem ſunt, &c.) *ſunt fontes ſine aqua* (ſceleton hominis, docentes neque ad gloriam Dei, neque ad pietatem neque ad conſolationem) *nubes à turbine acta; quibus caligo tenebrarum in ſeculum ſervata eſt. Præturgida enim vanitatis loquentes ineſcant in concupiſcentiis carnis, in laſciviis, eos,* QVI VERE EFFVGERANT ILLOS, QVI IN ERRORE VERSANTVR, (Qui cum reformata Eccleſia Gogi communionem, in qua ſunt Seducentes & errantes, 2 Tim. III. ℣. 13 effugerant) LIBERTATEM *illis promittentes, qui ipſi ſervi ſunt corruptionis. A quo enim quis ſuperatus eſt, ei & mancipatus eſt. Si* quidem *enim quum effugiſſent inquinamenta mundi in agnitione Domini & Servatoris Ieſu Chriſti, iis verò rurſus implicati ſuperantur, facta ſunt ipſis poſteriora deteriora prioribus,* &c. Vide mihi, quæſo, ſine præjudicio, deſcriptionem certorum Eccleſiæ corruptorum. 1. Agnoverunt Dominum & Servatorem Ieſum, cognoverunt viam juſtitiæ (quid aliud, quàm viam, qua juſtificatio obtinetur, ſine qua nulla eſt in homine juſtitia, nulla nova & ſancta vita?) 2. effugerant cum iis, quos illiciunt, iſtos homines & communionem iſtorum hominum, qui manent & verſantur, tanquam in VIA, in SEDVCTIONE (qua, niſi Antichriſtiana? de qua 2 Theſſ. II. ℣. 11. & 2 Tim. III. ℣. 13.) effugerant inquinamenta mundi. 3. loquuntur in genere, *turgida vanitatis*, crepant res magnas cum inani oſtentatione. placent ſibi, omnia ſuo judicio ſubjiciunt, omnia vocant in dubium, &, quum debeant Scripturam loqui in ẽmphaſi, energia & δυνάμει, eam ipſam loquuntur ut turgida vanitatis, & tales Scripturæ dant interpretationes, quæ ex illa

ex illa faciat corpus turgens multis ſuperfluis humoribus & inane ſoliditatis, hoc eſt, omnia Scripturæ in hyperbolas convertunt, & πως, *aliquo modo*, non in genuina & plena φερωνυμίᾳ intelligendam docent. Ita & notas in Biblia edunt turgidas vanitate, oppletas uncialibus literis doctrinæ pietatis inanes. In ſpecie Promittunt libertatem iis, qui ſunt in concupiſcentiis & laſciviis. In concupiſcentiis & laſciviis naturâ eſt mortuus omnis homo: etiam ille, qui audit ſermonem veritatis; etiam ille, qui agnovit viam juſtitiæ, ſi non vivificetur à Domino. Hoc enim ex prædicatis S. Petri liquidò apparet. Talibus igitur promittunt libertatem, hoc eſt, promittunt & aſſerunt, illos eſſe LIBEROS à vinculis Satanæ & Peccati ad ſerviendum Deo & juſtitiæ ſine Gratia & Auxilio Dei efficaci, qua Filius ipſos LIBEROS faciat. At Scriptura nullam LIBERTATEM à peccato novit, niſi quæ eſt SERVITVS juſtitiæ: quemadmodum in ſtatu peccati SERVITVS peccati eſt idem cum LIBERTATE juſtitiæ, qua homo non poteſt ſubjici Legi. Rom. VI. ℣. 20, 22. & Rom. VIII. ℣. 7. Propterea & S. Petrus ipſos breviſſimè & nervoſiſſimè refutat: teſtans, ipſos eſſe SERVOS corruptionis, non LIBEROS, licèt tantam cognitionem veritatis acceperint. Et hæc eſt quidem Antitheſis S. Petri oppoſita illorum Theſi ſive Promiſſioni. Argumentum, quo utitur ad Antitheſin firmandam, accedit. *A quo quis ſuperatur, ejus ſervus eſt.* Qui victus eſt à Peccato ſeipſum liberare non poteſt; & ad exeundum è ſervitute liber atque indifferens minimè eſt. Conſiderentur hæc in timore Dei, & verè Chriſtum *Dominum* & *Salvatorem* agnoſcamus, & in eum, ut talem, credamus: non dubitantes, quin Chriſtus mortuus ſit ad redimendum ſibi populum, cujus *Dominus* ipſe eſſet, qui eſſet ſuum peculium, quem *Salvaret* ſuo ſpiritu & gratia tum ſolus eum regenerans ad fidem, qua ipſi inſertus juſtus eſſet coram Deo, tum ſanctificans ad novam vitam; & *reſuſcitaret ultimo die.*

VERS. 16. Eſt QVARTVS Gradus REPVRGATIONIS Terræ, nimir. Abolitio *Nominis* urbis magnæ reliqui in Eccleſia. *Atque etiam Nomen Vrbis Hamonah.*

Exami-

Examinanda verſio, quam alii habent. Vnus (cujus memoria in benedictione) ſic habet : *Quin etiam nomini civitati erit multitudo ipſius poſtquam mundaverint terram.* Id ita explicat, *Multitudo hìc illic victa & caſa erit gloriæ non tantùm Iudæis, ſed ipſi quoque urbi Hieroſolymæ.* Alius priori ſuccenturiatus, *Iſta multitudo* (exciſorum) *nomen* (dabit) *civitati* (Hieroſolymorum) *poſtquam mundata erit terra.* Eandem ſententiam molliori orationis fluxu explicat. Iuvabo & Ego pro virili illam expoſitionem, ſi forte defendi poſſit. Si enim non poſſit molliùs ex verbis Hebræis deduci, propter ipſam torturam Syntaxeos eſſet rejicienda. Vide igitur an ſic eſſe poſſit. *Et* erit *etiam nomen civitatis*, hoc eſt, fama & gloria civitatis *multitudo ejus*; etenim *repurgabunt terram.* Duriuſcula ſyntaxis & phraſis, forte ſine exemplo, imprimis omiſſo verbo יִהְיֶה *erit*, & שֵׁם pro לְשֵׁם. Sed tamen hoc tranſeat. Sed habeo contra illam expoſitionem hæc. 1. quòd in tota pericopa Hieroſolymæ non eſt facta mentio. 2. quòd עִיר *πόλις urbs* ſine articulo dicitur, non הָעִיר *ἡ πόλις* ut in deſignatione eximiæ alicujus rei fieri ſolet. Igitur erit vertendum vel explicandum, *alicujus urbis.* Vt Daniel. XI. ℣. 3. *& ſurget rex fortis.* hoc eſt, aliquis rex fortis. Et ſic manifeſtum eſt in Græco diſcrimen inter *πόλις* & *ἡ πόλις*. Eſt quidem & Hebræis in carminibus & prophetiis uſitatum, ut ſine articulo voces in emphaſi ponantur, ſive ita, ut notetur plena ſignificatio in prædicato tanquam proprio. Ita מֶלֶךְ eſt *Rex*, non quivis ſive aliquis è multis, neque præcipuus, ſed is; cui hoc nomen vel attributum in plena & vera ſignificatione q. proprium eſt. ut Pſal. XLV. ℣. 1. & Pſal. LXXII. ℣. 1. Item, ubi ſingulare collectivè ponitur pro toto genere; ut צַדִּיק *juſtus* pro omnes juſti : יָשָׁר *rectus* pro omnes recti : רָשָׁע *improbus* pro omnes improbi. Primo modo צַדִּיק *Iuſtus*, ut proprium dicitur de Chriſto Eſai. LIII. ℣. 11. & רָשָׁע impro-

improbus (ὁ ἄνομος) appropriatè de Antichriſto Eſai. xi. ỳ. 4. Quomodo autem πόλις *urbs*, *ville*, pro urbe Hieroſolyma accipi poſſit, aut ubi ſimile reperiatur, non incidit mihi. 3. quòd non bene poteſt dici, *multitudo eſſe* aut fieri *nomen*, ubi multitudinis extinctio facit nomen. 4. quòd illa multitudo extincta perincommodè dicitur *multitudo ejus* urbis. 5. quòd hîc הֲמוֹנָה Hamonah eſt, obſervantibus Maſorethis & atteſtantibus omnibus codicibus ſine Mappik, & ſic non poteſt reddi nec, ut prior interpres reddidit, *multitudo ejus*, (tum enim requireretur Mappik) neq; ut poſterior, *Illa multitudo*. Hoc enim eſſet הֶהָמוֹן *Hehamón* ὁ ὄχλος, neutiquam verò הֲמוֹנָה *Hamonáh*. 6. quòd ſupervacuè hîc de nomine & fama ac gloria, quæ ex ſepulta multitudine proveniet, diceretur. Iam enim de omnibus Iſraëlitis, qui egreſſi fuerint ex urbibus ſuis, ſufficienter dictum eſt ỳ. 13. *Erit ipſis in nomen die, quo glorificabor*. Quid opus eſt rurſus idem dici? Et notes in illo verſu, ubi hic vel talis ſenſus indicatur, eſſe phraſin longè aliam & aptiorem. 7. quòd hyperbaton in oratione Prophetæ ſtatuitur, quod venuſtatem & claritatem ejus deſtruit ſine cauſa. Sic enim ordinanda eſt. *Donec ſepeliant illud Sepelientes in vallem multitudinis Gog & purgent terram. Atq; etiam nomen id erit urbis*, vel *in nomen erit urbi multitudo ejus*: quomodocunque hoc verteris. Propter has aut ſimiles cauſas doctiſſimi interpretes Belgici in hunc ſenſum maluerunt vertere: *Atque etiam erit nomen urbis* (quæ in valle ſepulturæ vel ad eam erit ſita) *Hamonah* hoc eſt, multitudo. Prudentiſſimi Interpretes ſine implemento certo videntes difficilem hunc locum eſſe, maluerunt hoc, quod aſſequebantur, dicere & Lectori judicium & ulteriorem inquiſitionem permittere. Et ita in reliquis fecerunt. Veruntamen nulla urbs hoc nomine *Hamonah* unquam innotuit, quæ ſita eſſet in valle tranſeuntium & ſepulturæ, &c. Chaldæi interpretis tranſlatio ſic ſonat Latinè: *Et etiam eò conjicientur occiſi celſorum urbis, cujus multæ ſunt congregationes, & purgabunt terram*. Hæc verſio ſimplicitatem ſyntaxeos obſervat & in Hebraico textu nihil mutat, niſi

quòd

Digitized by Google

quòd הֲמוֹנָה *Hamona* (ita enim diſtinctè exprimitur) non-mappicatum accipit pro mappicato הֲמוֹנָהּ *hamonáh*. hoc eſt, *Hamona* non accipit ut nomen proprium ſimplex, ſed ut vocem compoſitam, appellativum nomen cum affixo, ut ſit *multitudo ejus*. Sed exprimam, age, quomodo Chaldæus paraphraſtes ex mente ſua Hebræum fuiſſet tranſlaturus: *Et* ſepelient *etiam nomen urbis, cujus* eſt *multitudo*, *& purgabunt terram.* Ante vocem הֲמוֹנָה ſtatuit ellipſin relativi, quæ eſt uſitatiſſima. Pro *nomen urbis* interpretatur *Celſi urbis*, q. d. nominatiſſimi & illuſtriſſimi urbis. Pro verbo *ſepelient*, quod nos addimus, dicit, *Conjicientur eò occiſi vel cadavera* (ſic ὁ νεκρὸς eſt *cadaver* Græcis) *celſorum urbis.* Facit igitur nobiſcum Chaldæus. Et R. Solomoh verbum *ſepelient* repetit. Summo jure. Quid enim ſimplicius, quàm ut vocabulum hujus verſiculi per copulativam duplicem ſuperiori verſiculo junctum eodem in caſu accipiatur, nimir. accuſativo? *Donec ſepeliant illud Sepelientes in vallem Multitudinis Gog, atque etiam Nomen Vrbis Hamonæ.* Nullum ſupplementum; nihil detortum; uniformis orationis fluxus. Deinde quid ſimplicius, quàm ut illud, *& purgent*, conſentiat cum colo non tantùm extremo præcedentis verſus, ſed etiam, ſine hyperbato primo hujus verſus. ut intelligantur ſepeliviſſe & *ſceleton* & *nomen*, & utroque ſepeliendo purgaſſe terram? Neminem offendat Soph Paſuk. Verſus facit, non periodos. Res nota eſt pueris Grammaticorum. Concludamus, pendere colon primum hujus verſiculi ex præcedente. *Donec ſepeliant illud Sepelientes in Vallem multitudinis Gogi, atque etiam nomen urbis Hâmonah*, *& purgent terram.* Satis de Syntaxi. Simplicitas orationis, evidentia rei inſignis & momentoſæ examuſſim quadrantis, abſurda aliùs omnis interpretationis quem non movent, eum nihil movet. Cum lapidibus nobis res non eſt, ſed cum hominibus, qui judicio pollent, &, ut ſpero, quærunt veritatem. Patet igitur profectò ex dictis, quòd Animadverſionem ſceleti & Ædificationem notæ juxta illud ſit ſecutura non tantùm Humatio Sceleti, ſed

& No-

& Nominis Vrbis Hamona. De hac re videndum eſt. Vox *Hamonah* novum & inauditum nomen eſt, formam habens nominis proprii, facilis intelligentiæ. *Vrbs*, quæ appellatur *Hamonah* in myſterio, eſt illa *Vrbs magna*, quæ ſæpe in Apocalypſi memoratur. Vt in ſuperioribus diximus eſt alluſio ad jactationem Papalium. Catholicam vocant ſuam Eccleſiam, idque ſecundùm promiſſionem Abrahamo factam, *Patrem multitudinis gentium dedi te*. *Multitudinem gentium* tanquam in civitatem unam collectam Papa ſibi ſubjicit, & dicit eam eſſe eandem ipſam *multitudinem*, cujus Pater eſt Abraham. Concedit Scriptura, habere eum multitudinem & urbem, hoc eſt, unionem iſtius multitudinis; ſed ita, ut non ſit in vero Nomine collecta & unita, in quo debebat colligi. *Nomen* in Scripturis notat autoritatem, dignitatem, præeminentiam, à qua alii minores denominentur, cui jurent, & ſacramento dicant, quod actibus ſuis dictiſque præſcribant, ut, quod in iſto vel iſto nomine feciſſe & dixiſſe comperiantur, id videantur rectè dixiſſe aut feciſſe. *Dedit ipſi nomen ſupra omne nomen.* Philip. II. ℣. 9. *Non eſt nomen aliud datum in hominibus, in quo nos oporteat ſalvari.* Actor. IV. ℣. 12. *Nomina hominum.* Eminentiæ, quæ nominantur inter homines. Apoc. XI. ℣. 11. *Nomen blaſphemiæ*, Auctoritas ab hominibus conficta cum injuria divinæ majeſtatis. Apoc. XIII. ℣. 1. *Supra omne nomen, quod nominatur in hoc ſeculo & in futuro.* Epheſ. I. ℣. 21. Per *nomen* hoc genus eminentias intelligit, quales ſunt principatûs, poteſtates, potentiæ, dominationes, & ſimilia. Quod tandem eſt illud nomen urbis magnæ & Eccleſiæ Catholicæ falsò dictæ, quæ colligit gentes non in nomine Dei? Vno Verbo, EPISCOPVS presbytero prælatus & presbyterium ſibi ſubjiciens. Hoc nomine abolito, ceſſaret Papa, Cardinalis, Patriarcha, Archiepiſcopus, Suffraganeus, Presbyter ſine officio presbyteri & omnia quæ inde dependent & conſequuntur. Conſtat, in Scripturis Epiſcopum & presbyterum idem officium, idem nomen eſſe. Sed item conſtat, eſſe presbyteros laborantes in verbo, & ſolummodò gubernantes. Credibile eſt, *Epiſcopi* nomen in Presbytero illo, qui doceret,

Digitized by Google

doceret, aut toti collegio præſideret (fortè primò ad tempus, deinde per vitam) ſediſſe; cæteros *presbyteros* nominatos eſſe. Hinc poteſtatis diſcrimen introductum eſſe. De iis alii. Quum armatura Papæ combureretur & Gog ſepeliretur, non ſtatim hoc Nomen una ſepultum eſt. In agro partim rari, partim nulli manſerunt iſtius nominis; in Sylva vindemiæ multi. In honore fuerunt & precio, quamdiu Gogum ſepeliverunt. Poſtquam cœperunt ſepulta refodere, nomen ſuum divinæ juſſionis colore exornare, compresbyteros contemnere, ſanguine ſe maculare; poſtquam cœperunt quidam *Sceleti* ſepulturam dolentes per hos *Nomen* Vrbis magnæ in Iſraëlem reducere conari, ut Papis & Epiſcopis (de quibus nova auguria extiterunt, *bonos futuros* eſſe adeò ut modeſtè ſe gerant) denuò orbis Eccleſiæ ſubjiceretur: vidimus quibuſdam in partibus Nomen hoc ſepultum, & unà id detractum iis, qui id gerebant. Rei exitum necdum vidimus. Et affine temeritati eſt dicere quid nunc futurum ſit. Interim neceſſe eſt Sanguinem Hieroſolymæ *ſpiritu eliminationis* vel *incendii abſtergi*, *aquè ac Sordes Tzyonis per ſpiritum judicii*. Eſai. IV. Neque fieri aliter poteſt, quàm ut Stellæ cadant de cœlo, Matt. XXIV. & Apoc. VI. ut erubeſcat Sol & pudefiat Luna, & Rex ſit Dominus in monte Tzyon & in Hieroſolyma, & coram SENIORIBUS ejus ſit gloria. Eſai. XXIV. ℣. 24. Confirmat id benedictio *Tranſeuntium* in opere ſuo. De quo antea. Hoc facto, purgata erit Terra. Sed manum de tabula. Deus Spiritum ſuum largiatur omnibus regibus & miniſtris Eccleſiæ, ut meminerint ſe homines eſſe, ut cogitent, quæ ſit natura regni Dei, ut non introducant ſceptrum hujus mundi & ſceptrum improbitatis in Eccleſiam. Reliquis autem largiatur in verbo & opere ædificare proximos cum omni lenitate & prudentia; iiſque, qui audiunt, reſpicere eum, qui ex cœlo loquitur, & verbo ejus obedire & ſecundùm carnem neminem recognoſcere: Omnibus deinde, qui in catino ignis ſunt poſiti, patientiam, liberationem, ſalutem. Amen. Hîc eſt patientia ſanctorum. Beatus, qui in Domino moritur à nunc. Nam requieſcet à laboribus ſuis & merces ipſius ſequitur ipſum. Apoc. XIV. ℣. 13.

Vers. 17. Incipit Tertia pars capitis, quæ deſcribit Ivdicivm Gogi, verſibus quatuor. in quibus eſt invitatio volucrium & ferarum terræ, ut congregatæ veniant ad cœnam Dei. Verba ſunt expreſſa & metaphora illuſtris. Intelligo cladem Gogi extremam, qua proſternetur. de qua ſupra in ſummaria recenſione judiciorum Gogi ℣.4. colo poſteriori. *Dedi te omni volatili cœli & feris agri in cibum.* Quod ad explicationem attinet conjectura noſtra verſata fuit circa rerum certarum atque evidentium applicationem ad prophetiam: impoſterum verſabitur circa applicationem & res ipſas. Res enim illæ nondum geſtæ ſunt. Magis igitur laborabimus de theſi & ipſo genere rerum, quàm de hypotheſi ſive particularibus rerum exemplis earumque circumſtantiis; hac in parte cum veteribus prophetis ſcrutantes, in quòd & quale tempus Spiritus præſignificaverit hæc judicia Hoſtium & Beneficia Eccleſiæ, quæ fortaſſe non nobis ſed poſteritati noſtræ parata ſunt. 1 Pet. 1. verſ. 11, 12.

Annoto autem primò, Cædem Gogitici exercitus diſtinguendam eſſe à ſepultura prænarrata. 1. propter ordinem enarrationis, & ſummariæ propoſitionis, quæ eſt ℣. 4. 2. propter analogiam aliarum Prophetiarum. Qualis eſt Apoc. xix. Vbi invitationem volucrum ad cœnam Dei (verſ. 17.) præcedunt iſta, quòd Chriſtus *gladio acuto egrediente ex ore ipſius ſit percuſſurus gentes*; quod notat Verbi efficaciam ad turbandum Eccleſiam Romanam & Reformatam Eccleſiam ex ea liberandum. quod deinde *gentes ſceptro ferreo ſit recturus.* quòd tertiò ſit *torcular calcaturus.* de quo eſt cap. xiv. quo notatur judicium in parte Eccleſiæ propter violationem honoris & prærogativæ Chriſti, qui eſt obſignatus à Patre ut ſit Rex regum & Dominus Dominorum. Quod nomen cum Nomine urbis Hamona miſceri & jungi nequit. Deniq; ſubjicitur ℣. 17. Cædes magna & epulum paratum volucribus. At ℣. 19, 20. poſt indicationem victoriarum Chriſti, Hoſtes, eorumque conatus & exitus in ſcenam ſimiliter producuntur. Præcedenti decimo octavo capite Apocalypſeos ſunt iſta diſtincta. Caſus primus Babylonis, qui ſit per abruptionem communionis fidelium

lium. ℣. 2. Admonitio populi Dei ut ne communicent cum peccatis ejus. ℣. 4. Excitatio ad reddendum ei ſecundùm opera ſua. ℣. 6. Denique hypotypoſis ultimi caſus. Rurſus cap. XVII. ℣. 16. Gradatim proponitur Odium meretricis, deſertio, voratio carnium ejus, combuſtio. cap. XVI. ℣. 12. Euphrates ſignificatur exſiccandus, ut paretur via regum ab Oriente. Deſtructio poſt deſtructionem. Eſai. XIX. ℣. 16. Timor Ægypti ob agitationem manus Domini, ut dent pacem Eccleſiæ. ℣. 17. Metus & trepidatio Ægypti ob Eccleſiam invaleſcentem. ℣. 18, 19, 20. oppreſſio & aſſertio Eccleſiæ in Ægypto, hoc eſt, intra terminos territorii Papalis, deſcribitur. ℣. 21, & 22. Percuſſio Ægypti cum ſanatione: unde cognoſcet Ægyptus Dominum (ſaltem in parte) & vovebit votum & ſolvet, hoc eſt, (niſallor) jurabit Eccleſiæ & meliùs, quàm antea, obſervabit juramentum. Video hîc duas rationes, quibus applicari poſſit, unam extantem in federe quodam Regni Illuſtris ditionis Papalis cum populo Reformatæ religionis ſanctiùs, quàm olim federa à Papiſtis ſervata ſunt, ſervato: alteram poſſibilem, ſed nondum factam; quæ tamen expectatur in mundo. Sed antequam fiat non determinabo. Verſu denique 23. eſt de Aſſyrii ingreſſu in Ægyptum & Ægyptiorum in Aſſyriam, & ſervitute Ægyptiorum. De quo ſupra. Hoc autem eſt diverſiſſimum à prioribus. Sequitur ℣. 24, & 25. de congregatione populorum ad Eccleſiam. Hæc ſufficiunt. Annoto ſecundò triplicem differentiam inter verba Ezechielis & Apocalypſeos cap. XIX. 1. quòd Ezechiel invitat *aves & feras terræ*; Apocalypſis tantùm *aves volantes in medio cœlo*. 2. quòd Ezechiel epulum inſtruit *in montibus Iſraëlis*: de quo nihil in Apocalypſi. 3. quòd Apocalypſis invitantem facit Angelum ſtantem in Sole. Ex iis colligo, Apocalypſin dicere partem ejus, quod Ezechiel totum deſignat. Ezechiel conjungit, quod in montibus Iſraëlis futurum eſt, & quod extra montes Iſraëlis peragendum eſt. Apocalypſis videtur hoc poſtremum tantùm ſignificare. Ad priorem partem Epuli magni pertinet cap. XXXVIII. ℣. 21. *Et vocabo contra ipſum in omnes montes meos gladium.* Item, Eſai. XXV. ℣. 6. *Et faciet Dominus exerci-*

*ercituum omnibus populis in monte hoc epulum opimitatum, epulum fecum.* hoc eſt, faciet, ut quod ipſis initiò fuerat epulum delicioſum, exitu ſit amarum & triſte. Ad alteram partem ſpecialiùs, ut videtur, pertinent cap. XXXIX. ℣. 18, 19. Item, Eſai. XXV. ℣. 7. 8. *Et abolebit Dominus in monte hoc faciem veli inducti omnibus populis, & tegumenti inſtrati omnibus gentibus. Abolebit Mortem ad ſummum uſque.* Gogum, qui eſt Mortis ſecundæ auctor, ſive mortiferæ doctrinæ propheta, abolere incipiet in monte hoc, donec illum totum aboleat. Et de hoc actu Epuli Apocalypſis, ut conjicio. Igitur & Angelus invitans ſtat in Sole, ut cap. 12. mulier dicitur amicta Sole. Putem enim futuram illam partem Epuli, quum Eccleſia Dei præſentis liberatione tanquam Solis radiis fulgebit in oculis totius mundi & hoſtium ſuorum oculos punget. Quare & *aves* vocatas in Apocalypſi certum genus hominum notare putem. Et ſanè ſuo modo *Aves* intra cœlum & Terram volantes ſunt optimum hieroglyphicum Muſulmanorum, qui nec Iudæi, nec Gentiles, nec Chriſtiani ſunt, ſed aliquid medium.

VERS. 21. incipit Quarta capitis pars de Iudicii Gogo irrogati effectis, & conſequentibus beneficiis in Eccleſiam conferendis.

I. Effecta ſunt tria.

1. Experimentalis cognitio in Gentibus alienatis ab Eccleſia, Præcellentiæ Dei (qui Rex Eccleſiæ ſolus eſt) & juſtitiæ in judicio, & potentiæ in plaga. ℣. 21.

2. Cognitio Eccleſiæ impoſterum non obſcuranda de Regno Chriſti ſolitario cum nemine communicando. VERS. 22. *Et cognoſcent Domus Iſraëlis, quòd Ego Iehovah Deus ipſorum ſim, ab illo die & in poſterum.* In poſterum non dabunt honorem Chriſti ulli homini; ſed in ſolum Chriſtum Filium Dei, qui eſt verè IEHOVAH, Deus revelatus in carne, credent, eique ſe docendos per verbum ſuum committent, citra autoritatem humanam; eo uniente continebuntur; per miniſtros ejus nulla potentia humana inſtructos gubernabuntur, eiſque obtemperantes, ut loquentibus in nomine Dei, oſtendent ſe non hominibus ſed Deo obedire. Nomen Vrbis magnæ ſepultum manebit. Præterea Sceleton hominis de-

foſſum

ſoſſum non refodietur, ut quis putet in Eccleſia VIM SVAM ESSE DEVM SVVM. Habac. I. ℣. 11. hoc eſt, Se poſſe per ſe ipſum ſalvari. Neque id tantùm de Vera & Æterna ſalute accipiendum eſt, ſed & de temporali aſſertione. Quo in genere multi peccare horrendum in modum videntur, Qui faciunt brachium humanum cauſam ſalutis ſuæ. Sanè & FERAS TERRÆ vocat Deus ad vorandam carnem fortium; ſed illæ tamen non ſunt Deus noſter, nec Iſraël quidem, ſed ſunt FERÆ TERRÆ. Et tamen quidam omnem ſpem in FERIS TERRÆ poſitam habent. Quare vehementer offenditur Deus noſter. Sed quàm multa iſtiuſmodi auxilia ceciderunt, quàm multa Federa in caſſum fuerunt, quot hominum conſilia diſſipata ſunt, quot arces & munimenta perierunt! Olim, quum diceretur quibuſdam: *Sic dixit Dominus ſanctus Iſraëlis, in converſione & quiete ſalvabimini, in tranquillitate & fiducia erit victoria veſtra: Noluerunt. Dicebant enim: Non; ſed in Equo fugiemus (Iccircò fugerunt) Et in Veloci vehemur. Iccirco leves fuerunt perſecutores ipſorum.* Eſai. XXX. ℣. 15. &c. propterea tot clades accepit Iſraël, ut vix reſtaret ei VIR; Eſai. LIX. ℣. 16. ſed MANVS nulla eſſet & *nullus eſſet deſertus & incluſus*, hoc eſt, de Iſraële partim deſerto partim incluſo actum eſſe videretur. Deut. XXXII. ℣. 36. Excitavit autem Deus Zelum ſuum & brachium ipſius auxilium tulit ipſi, majoraque per PVEROS, PVELLAS, MVLIERES effecit in VIROS & FORTES, quàm VIRI potuiſſent cogitare. Ita Iehovah oſtendit ſe eſſe Deum Iſraëlis. Videamus, iſtoc experimento edocti, ne carnali brachio confidamus. Terret me valdè, quod lego Pſal. LXVIII. ℣. 31. *Diſſipavit populos, qui prælia cupiunt.* Avertat hæc Deus in inimicos ſuos: Pax autem ſit ſuper Iſraëlem Domini. Erit ſanè aliquando, quum dicemus; *Aſſur non ſalvabit nos; in equo non vehemur; neque dicemus amplius;* DEVS *noſter, ad opus manuum noſtrarum. Nam in te miſericordiam invenit Pupillus.* Hoſ. XIV. ℣. 4.

3. Cognitio gentium de Iudicio Dei in Eccleſia peracto. *Et cognoſcent Gentes, quòd ob pravitatem ſuam exulaverunt domus Iſraël, propterea quòd prævaricati fuerint*

*contra me* : *&* ideò *occultaverim faciem meam ab ipſis & dederim eos in manum hoſtium ipſorum*, *& ceciderint in acie gladii omnes illi.* VERS. 23. Cognoſcent ipſæ Gentes pravitatem & prævaricationem, ob quam Eccleſia facta fuerit alienæ poteſtatis & gladio ceciderint defenſores ejus. *Pravitas* eſt in eo, quod diſcrepat à rectitudine præſcriptæ formulæ : *Prævaricatio* eſt in occulta & per hypocriſin velata deſertione partium Dei & fornicatione cum Hoſtibus Dei. Pœnæ ſunt evidentes *Exilium*, *Traditio in manus hoſtium*, *occiſio*.

II. Conſequentia judicii tum in Eccleſiam tum in Hoſtes Eccleſiæ exerciti ſunt

1. Reſtitutio in integrum cum inſigni amplificatione. VERS. 24, 25, 26, 27, 28. Quorum primus indicat judicium finitum eſſe : ſecundus Reſtitutionem pollicetur : tres reliqui juſtificant hanc reſtitutionem per oppoſitionem judicii à fine utriuſque. *Pro impuritate ipſorum & defectione ipſorum feci cum ipſis*, *& occultavi faciem meam ab ipſis*. ℣. 24. *Iccircò*, *ſic ait Dominus Deus*, *nunc reſtituam Iſaaëlem in integrum* (Hebraicè, reducam captiva Iſraëlis) *&*, illo non contentus, *miſerebor* TOTAM *domum Iſraëlis*, *& zelabo pro nomine ſancto meo.* verſ. 25. Iſtud TOTAM alludit ad Rom. XI. ℣. 26. *Et ſic* TOTVS *Iſraël ſervabitur.* Cauſa eſt *Zelus* Dei & Amor gloriæ nominis ipſius. Vide Eſai. IX. ℣. 6. *A nunc in ſeculum Zelus Domini faciet hoc.* Eſai. LIX. ℣. 17. *& induit ut chlamydem Zelum.* Eſai. XLVIII. ℣. 11. *Propter me*, *propter me faciam. Nam quomodo profanaretur* nomen meum? *Et gloriam meam alteri non dabo.* In tribus reliquis eſt, ut dixi, juſtificatio beneficii per oppoſitionem judicii à fine utriuſque. Argumentum tale eſt; Si Iſraëlitæ ita tulerunt ignominiam ſuam ut ſanctificatus ſim in ipſis coram oculis gentium; æquum eſt ut & colligam illos. Ratio eſt, quia Zelus meus poſtulat, ut non tantùm ſanctificer in ipſis per judicium caſtigationis, ſed etiam beneficum me erga illos præbeam. Nam ex eo ſolo, quod punio ſive caſtigo, non cognoſcerent, quòd Ego Deus ipſorum & illi Populus meus ſint; ſed, ſi & deportabo & colligam, perfectè cognoſcent, me eſſe Deum ipſorum. Hæc eſt connexio verſuum trium. In

quorum

quorum duobus primis ( videlicet parte poſteriore verſ. 26. & priore ℣. 27. ) quaſi per parentheſin, quam poſuimus illuſtrandi ſenſus cauſâ, exaggeratur culpa, qua Eccleſia hanc caſtigationem commerita eſt tribus rationibus; 1. quòd in pace & abundantia omnium rerum prævaricati ſint contra Deum. 2. quòd pacem illam conſecuti fuerant poſt afflictionem graviſſimam perlatam ab inimicis, atque ita cum notabili coërcitione hoſtium. 3. quòd ante omnia ab erroribus & impuritatibus populorum per agnitionem veritatis eſſent converſi. Quibus cauſis vehementer aggravatur culpa Eccleſiæ. Verba ipſa non opus eſt hîc repeti, quæ ſic ordinata (quæ ordinatio eſt ſine vi & contorſione fili ſermonis, & eum facit leniſſimè fluere) nullam habent obſcuritatem. Tantùm ad verſum 28. annoto, 1. quid ſit *collectio populi in terram ſuam.* 2. quanta illa futura indicetur. *ut nemo maneat reliquus.* De Primo. Quemadmodum captivatio vel exilium non importat neceſſario migrationem ex ſuo loco in alium (Quid enim intereſt, utrum in alieno, an in meo ſolo vivam ſub aliena poteſtate & alieno arbitratu?) ita collectio in terram ſuam non neceſſariò connotat reditum corporalem in locum ſuum ſive in patrium ſolum. Eccleſia Novi Teſtamenti non habet ſolum, cui affixa eſt. Sed tum dicitur eſſe in captivitate vel exilio, quum vel mixta eſt per communionem externam hypocritis, pſeudoprophetis & tyrannidem in cœtu exercentibus: vel libertate conveniendi eſt privata, neque publicè aut privatim laudes Dei per præconium veritatis enarrare liberè poteſt. Colligitur ergo in terram ſuam 1. quando per Dei beneficium cœtus purior eſt, cui poſſit ſe pius ſine offenſione conſcientiæ aggregare; atque adeò ſeducti ab erroribus, gravati à jugo liberantur. 2. quando libertas conceditur, & quidem plurimis in locis, conveniendi publicè veritatemque profitendi. De tali reductione intelligendus eſt Eſai. XI. ℣. 11. & ſequentibus. Eſai. XLIX. Eſai. LX. Eſai. LXVI. & alibi. Zach. X, &c. De altero: Quanta erit illa collectio ſive quàm perfecta? *Non relinquam ibi adhuc quenquam.* Dicit in hanc mentem Zach. XIV. ℣. 5. *Et veniet Deus meus*, ô Tu, *cum quo ſunt omnes*

*Sancti*: Pſal. xciv. ℣. 15. *Ad victoriam juſtæ cauſæ exibit judicium, quod ſequentur omnes recti corde.* Sed ſanè quomodo hæc implenda ſint, equidem adhuc vix poſſum concipere. Eſt tamen Deus potens ut colligere ſcandala ex populo ſuo, Matth. xiii. ℣. 30. ita quoque colligere omnes fideles in unum. Matth. xxiv. ℣. 31. Neſcio, an aliquis audeat hoc colon dicere impletum in Iudæis poſt Syrorum expulſionem. Quod ſi factum eſſet, typus rei majoris ſine dubio eſſet. Et ſunt magnæ res actæ, quæ typum præbent, explicatæ Zach. ix. & xii. ab initio, ſed minimè æquantia magnificentiam hujus dicti, ut ego quidem cenſeo.

2. Beneficium ſecundum, conſequens judicium præſcriptum, eſt Communicatio uberioris ſpiritûs, ut deinceps non ſit abſconſurus faciem ſuam ab Eccleſia, donec hanc militiam in cœleſtem triumphum commutet. Vers. 29. *Et non occultabo adhuc faciem meam ab ipſis, quia fudi ſpiritum meum ſuper domum Iſraëlis, ait Dominus Deus.* Confer Apoc. vii. ℣. 15, 16, 17. cap. xi. ℣. 15. cap. xv. ℣. 4. cap. xix. ℣. 1, 2, 5, 6, 7, 8, 9. cap. xx. ℣. 1. & ſeqq. Eſai. lxv. ℣. 18. & ſeqq. cap. lxvi. ℣. 22, &c. Zach. xiv. ℣. 8, &c. Eſai. lx. & pluribus aliis in locis.

Hæc in præſens, amice Lector, excitatus ipſe ab aliis piis & doctis hominibus volui tecum communicare ut excitarem ſinceram mentem tuam, offenſas multorum vel riſus non verens; quibus ego omnibus bene eſſe cupio, quantum in me eſt. Quædam ſunt, quæ me in hac cogitatione mea, quam quidam forte temerariam judicabunt, vehementer ſolantur; videlicet 1. quòd ſcio hoc vaticinium eſſe verbum Dei. 2. quòdque id nobis ad meditandum & ex aliis ſcripturis ipſiſque rebus gerendis interpretandum relictum eſt, æquè ac dogmatica ſcripta; tum quia ipſa ex prophetiis exſtructa ſunt, tum quia multò maxima pars Scripturæ ſunt prophetiæ, quarum lectio & meditatio minimè abdicari & negligi poteſt. Habetis firmiorem propheticum ſermonem cui bene facitis quòd attenditis, ait S. Petrus. 3. quòd mihi nihil aliud propoſitum eſt, quàm regnum Chriſti quærere & contrarium vitare, ac tempus viſitationis noſtræ

agno-

Digitized by Google

agnoſcere : & mihi conſcius ſum, me de futuris nihil definire temere. 4. quòd ſi non in hypotheſi applicatio noſtra ubique æquè recto talo procedet (quod alius judicabit. Forte enim ipſi, ubi ceſpitemus, minùs animadvertimus) tamen fieri non poteſt, ut in toto genere fallat. 5. quòd nemo prudens ita judicare poteſt, Scripturam in explicandis rebus minutis vel populi Iſraëlitici vel gentium urbiumque vicinarum (quarum nec ulla certa cognitio ad nos pervenit) fuiſſe largam, in rebus N.T. maximis parcam, imprimis unde maximæ res ante finem ſeculi adhuc futurę pendent. 6. quòd mihi perſuaderi non poſſe videatur neque ulli prudenti tam feliciter poſſe aliquem vel in una vel in multis prophetiis errare, ut omnes applicationis partes exactè ſine ulla contorſione, ſine difficultate intelligendi (quæ Lectori judicaturo offeratur) ad captum etiam plebejorum, ſecundùm omnium vocum energian & metaphorarum luciditiſſimam & uſitatiſſimam ſignificationem in rebus inſignibus & magnis fluant, & tamen id ipſum Spiritus ſanctus non, ſaltem principaliter (Nam in Antiocho ipſo eſſe quendam typum, & ei verba quædam prophetiæ aliquo modo aptari poſſe tandem concederemus) indigitaverit. Claudo cum dicto Hoſeæ cap. XIV. ℣. 10. *Quis eſt Sapiens? & conſideret iſta : Prudens? & cognoſcat ea. Nam recta ſunt via Domini, & juſti ambulant in eis. At defectores offenduntin eis.*



Digitized by Google

## Brevis adumbratio Paraphraſtica cap. 20 Apocalypſeos ( in quo ſecunda mentio Gogi & Magogi ) addita, ne quæ paginæ vacarent.

POſtquam vidiſſem Beſtiam & Pſeudoprophetam vivos in ſtagnum ignis ſulphure ardens conjectos, Deus mihi revelavit, idem ſupplicium Diabolo quoque irrogatum iri ( vide ℣. 10.) ſed ne ignoraret Eccleſia, quibus gradibus Diabolus ſub Novo Teſtamento coërcendus eſſet, totum illud una viſione mihi demonſtratum eſt, nim. & ligatum, & ſolutum, & denique in ſtagnum ignis conjectum iri.

Principiò vidi, quæ ad ligationem pertinent.

Effector ejus erat *Angelus deſcendens ex cœlo habens clavem abyſſi & catenam magnam in manu* ( ℣. 1.) hoc eſt, perſona divina à Deo Patre miſſa habens tum poteſtatem aperiendi carcerem iræ & damnationis ad liberandum & ſanctificandum ei incluſos, & eundem claudendi, ſive damnatis pœnas iræ divinæ infligendi; tum potentiam ſufficientem ad conſtringendum Satanam.

Si quæris, quem ligaverit, is eſt 1. *Draco.* 2. *Serpens Antiquus.* 3. idem is, *qui eſt Diabolus &* 4. *Satanas* ſive Adverſarius. *Draco* appellatur à potentia ſua, quam habebat in mundo & per Romanum imperium exercebat, quum regnum Chriſti revelaretur. vide cap. 12. *Serpens Antiquus*, quòd ſemper tentet homines ad defectionem à Deo, idemque ſit conaturus in Eccleſia; ſparſo veneno hæreſeων ſub obtentu verbi Dei. *Diabolus*, quòd blaſphemat Deum; quod faciet per Beſtiam. (vide cap. 13. ℣. 6.) *Satanas*, quòd accuſat ſanctos (vide cap. 12. ℣. 10.) cujus faciendi occaſionem habebit, quum vincentur ſancti à Beſtia ( cap. 13. ℣. 7.)

Ligationis ordo hic eſt. 1. *apprehendit Draconem.* quo ſignificatur, quòd Spiritus Dei Imperium illud magnum Gentile, quo quaſi corpore indutus Diabolus Draconis ſpeciem habet, coërcebit, ut ſe contra Eccleſiam movere non poſſit. 2. *ligavit illum*, ut ligatus maneat

neat per *annos mille.* ( ℣. 2.) quo notatur, quòd refrenabit ipſius potentiam, quam habuit hactenus in excæcandis hominibus. 3. ligatum *conjecit in abyſſum.* quo notatur tormentum Satanæ ligati, quòd doli ſui ad deceptionem Eccleſiæ non profecerint. 4. inſuper *clauſit illum*, ac denique 5. *ſignavit ſuper ipſum.* quæ ſignificant indies magis magiſque reſtrictam potentiam Satanæ & dolorem ejus auctum in plurimarum gentium converſione non tantùm ab idololatria ſed etiam ab erroribus ſuis.

Ligationis effectus eſt, *ut non ſeducat gentes ampliùs*, quas ante Chriſtum ſeduxerat; ſed ut illius ſeductio magis magiſque minuatur.

Tempus ligationis ſunt *mille anni*, ſcilicet poſt apprehenſionem Draconis. Non quòd accuratè annus primæ ligationis & primæ ſolutionis revelatus ſit, (nam ea fiunt in occulto,) ſed quòd mille annorum fluxu coërcitio illa manifeſtos effectus [*qui in hiſtoria inde à temporibus Conſtantini M. uſque ad Ludovicum Bavarum circiter noſcuntur*] ſit habitura.

Simul tempus ſolutionis poſt mille annos futuræ demonſtratum eſt: *ad parvum tempus* (℣ 3.) ne quis putet in priſtinam ſervitutem Diaboli apertam (qualis gentium fuerat ante Chriſtum) eſſe mundum rediturum per ſolutionem illius.

Demonſtratum eſt præterea, quis finis ſit ligationis Satanæ. Is duplex eſt. 1. ut regnum daretur quibuſdam. 2. ut iiſdem daretur judicium. Quibuſnam igitur regnum & judicium eſt datum? 1. *Animabus ſecuri percuſſorum propter teſtimonium Ieſu & ſermonem Dei.* 2. *iis, qui non adorarunt beſtiam & imaginem ejus, & non acceperunt ſignaturam in frontem ſuam & in manum ſuam.* His datum regnum intellige & judicium. Iudicium, quia hoſtes eorum deſtructi ſunt. Regnum, quia Eccleſia, quam verbo & exemplo ædificarunt, multiplicata eſt, atque ita hæreditas ipſorum crevit; & quia hoſtes coacti ſunt mentiri Chriſto & prędicationi ſe non opponere, atque ita ſervire ipſis.

Quod tamen non ſic intelligendum eſt, quaſi ita ligatus fuerit Satanas, ut nihil interim egerit; aut quaſi ita regna-

regnaverint iſti, ut nullum certamen habuerint. Certè enim habuerunt certamen cum Beſtia & Imagine ejus; ſed non receperunt ſignaturam in frontem aut in manum, hoc eſt, legem Beſtiæ ſive Multitudinis hypocritarum membra Eccleſiæ mentientium & in formam mundani regiminis ſe ſub Capite ſuo (quod Eccleſiam, imò Chriſtum, repræſentare dicunt) coadunantium nec profitentur, ſaltem ut faciant ex ea principium fidei aut fundamentum, neque in actionibus ſuis ſequuntur.

Quòd ſi igitur ſcire velis, quinam conſtituerint Eccleſiam per iſtos mille annos & regnaverint cum Chriſto, ſive communionem habuerint cum Chriſto in hereditate per multiplicationem Eccleſiæ; dico, hos ſolos, qui ſignaturam non receperunt, ex iis qui nomen Chriſti uſurparunt, & revixiſſe ex morte illa, in qua omnes homines à nativitate ſua jacent; atque adeò regnum Chriſti, quod eſt in amplificatione Eccleſiæ, per id tempus ad ipſos pertinuiſſe. (ỷ. 4.)

Reliqui autem mortui ſive homines in peccatis jacentes, licèt illi videantur, abnegatis idolis, imò & hæreſibus, ſimiliter revixiſſe & per ſpiritum regenerati eſſe, revera non revixerunt; ſed ad Beſtiam pertinent, cujus ſignaturam receperunt.

Loquor de reſurrectione primâ, qua homo fit ex mortuo vivus per fidem. Cujus qui particeps eſt, eſt & ad beatitudinem veram tranſlatus & ſanctus, habens expurgationem peccatorum in ſanguine Chriſti & ſpiritu ſanctificationis.

Quare ne mireris, quòd dixi, hos revixiſſe, cæteros non item. Niſi enim hi revixiſſent & ſpiritu ſanctificationis cuſtoditi fuiſſent à malo, tanta fuit tentationis efficacia, ut non potuerint conſiſtere: & ſi cæteri revixiſſent, mors ſecunda, quæ eſt defectio ab agnita veritate ſive induratio poſt cognitionem Chriſti ex verbo ipſius acceptam, non habuiſſet in ipſos poteſtatem. Nam ut non niſi per ſpiritum Chriſti, ita omnibus, qui habent ſpiritum vitæ Chriſti, datur victoria de omni tentatione.

Ex quo intelligitur, tantum abeſſe, ut illi hypocritæ mentientes Chriſto, fuerint vivificati, ut etiam fuerint bis mortui.

Deinde

Deinde ut illi ſoli vixerunt, qui non adorarunt Beſtiam, ita ſoli regnarunt, ſoli ſacerdotes Dei & Chriſti fuerunt: licèt multi ſecundùm mundum ſub nomine Chriſtiano ſacerdotes & reges eſſe viderentur.

Nam talis eſt natura Beſtiæ, ut velit videri capita ſua ſacerdotes & reges, eiſque ſe ſubjiciat loco Chriſti; qui ut verus eſt ſacerdos & rex, ita ſacerdotes & reges facit, quotquot ſunt in ipſo. Contra Beſtia, quod & fidelium & Chriſti eſt, confert in imaginem Beſtiæ. (℣. 5. 6.)

Deinceps de ſolutione monſtratum mihi eſt, poſt mille annos Deum Satanæ permiſſurum (laxatis ei paululum frenis) ut poſſit Gentes non quidem ad ignorantiam & abnegationem Chriſti apertam reducere, ſed tamen hoc ſua ſeductione efficere, ut tandem, quum Eccleſia fuerit interim à communione Beſtiæ ſeparata, gentes illæ undiquaque illam cingentes, quarum innumerabilis numerus, omnibus regibus ſe Imagini Beſtiæ ſubjicientibus, illam imaginem ſive illum Vicarium ita vero nomine *Gogum* ſive Velum & Tectum, aut Caput, ut ipſi ajunt, Eccleſiæ, revera autem τȢ *Magog* ſive populi Velati & à libertate regni Dei ad ſervitutem hominum retracti, (qualis ab Ezechiele prædictus eſt) conſtituant, idque ad faciendum bellum Eccleſiæ. ℣. 7, 8. [*Quod à tempore Ludovici Bavari ultimi imperatorum, qui Papæ reſtiterunt, factum eſt. Facile enim intelligitur tempus ligati Satanæ id eſſe, quo, perſecutione ſublatâ, crevit & floruit Eccleſia, Papa quidem ad culmen nitente, ut plenè fieret Gog, ſed ſemper coërcito: donec ſublata principum reſiſtentiâ ſeductio fortiùs graſſata eſt, ut tandem caput & legiſlator Eccleſiæ haberetur: quod demum in Concilio Tridentino perfectum eſt.*]

Tandem vidi id Prælium conflatum. Nam cùm Eccleſia à Beſtiæ communione ſeparata triplicem q. formam haberet, terræ, caſtrorum & urbis, aſcenderunt in terræ latitudinem, caſtra & urbem obſederunt. Hic effectus ſolutionis eſt.

Sequitur ſoluti Satanæ coërcitio, in iſtis partibus. 1. in ignis à cœlo lapſu, qui eas gentes conſumſit. (℣. 9. vide Ezech. 38. ℣. 21, 22.) 2. in Satanæ, poſt pſeudopropho-

prophetam & Beſtiam, conjectione in ſtagnum ignis, ut in perpetuum torqueatur. ( ℣. 10. )

Hujus tormenti cauſæ hæ ſunt.

1. Falſum cœlum & terra abolebitur, Chriſto ſuum thronum erigente, hoc eſt, falſa hierarchia & ſi quid inde pendet, ab Eccleſiæ cervicibus tolletur. (℣. 11.)

2. Mortui hoc eſt, homines peccatores & à morte peccatorum nondum liberati judicabuntur ex libris apertis Scripturarum. ( ℣. 12. )

3. Omnia retinentia mortuos, mare, mors & infernus, hoc eſt, mundus à Chriſti & verbi ejus cognitione hactenus alienus, & regnum ſeductionis ac tyrannidis, dabunt ſuos mortuos, hoc eſt, non valebunt impedire, quò minus mortui judicari poſſint &, ſi qui in libro vitæ ſcripti ſunt, ( ℣. 12.) vivificari. (℣. 13. )

Ita & Seductio & Tyrannis conjecti in ſtagnum ignis. quæ eſt mors ſecunda (℣.14.) hoc eſt, induratio & morſus malæ conſcientiæ, poſt mortem in Adamo contractam, initium æternorum cruciatuum. Atq; adeò omnes non ſcripti in libro vitæ, qui non pertinent ad ſemen promiſſionis, datum Abrahamo, cui ſemini hereditatem benedictionis teſtamento ſuo Chriſtus ſcripſit, in ſtagnum ignis conjecti ſunt. ( ℣. 15.) Adeò nulla impiis relicta eſt πρόφασις, quare non ſe Eccleſiæ aggregent, ut omnes tales apertè profani & maledicti noſcantur.

Index

Digitized by Google

# Index dictorum Scripturæ in hoc commentariolo illuſtratorum.


| | | |
|---|---|---|
| Geneſ. | 9, 28. | pag. 53 |
| | 10, 5. | 53 |
| Deut. | 32, 36. | 85 |
| Pſal. | 72, 10. | 53 |
| Eſai. | 2, 2. | 56 |
| | 11, 4. | 22 |
| | 19, 1. 2. | 44 |
| | 19, 16. uſq; adfin. | 83 |
| | 19, 18. | 46, 50 |
| | 19, 23. | 41 |
| | 23, 1.4. | 48 |
| | 23, 15, 16, 17. | 25 |
| | 24, 22. | 22 |
| | 25, 6. | 83 |
| | 25, 7. | 15, 83 |
| | 30. 15. | 85 |
| | 32, 19. | 50 |
| | 35, 8. | 59 |
| | 42, 4.12. | 53 |
| | 56, 10. | 60 |
| | 59, 16. | 85 |
| | 61, 2. | 24 |
| | 63, 4. | 24 |
| | 66, 17. | 15 |
| | 66, 20. | 56 |
| | 66, 24. | 12 |
| Habac. | 3, 14. | 46 |
| | 3, 16. | 41 |
| Hagg. | 2, 7. | 34 |
| | 2, 8. | 56 |
| Zach. | 9, 13. | 53 |
| | 10. | 12 |
| | 10, 13. | 41 |

| | | |
|---|---|---|
| | 11, 2. | pag. 50 |
| | 11, 16. | 60 |
| | 14, 1.2. | 26 |
| | 14, 5. | 87 |
| | 14, 12. | 12, 41 |
| | 14, 16. | 56 |
| Rom. | 11, 25.26. | 12.86 |
| Hebr. | 12, 26.27. | 34 |
| 2 Pet. | 2, 17.21. | 75.76 |
| Apocal. | 3, 1. | 63 |
| | 6, 8. | 12 |
| | 7, 9. | 12 |
| | 9, 1. | 23 |
| | 9, 14.15.17. | 18 |
| | 11. | 44 |
| | 11, 9. | 56 |
| | 11, 13. | 47 |
| | 12, 6. | 58 |
| | 14. | 44.63.64 |
| | 14, 8. | 23 |
| | 14, 15.18. | 50 |
| | 15, 8. | 45 |
| | 16, 12. | 44.83 |
| | 17, 16. | 83 |
| | 18, 2.4 6. | 83 |
| | 18, 2.21. | 23 |
| | 18, 4. | 64 |
| | 19, 17.18.19.20. | pag. 10, 82, 83 |
| | 19, 20. | 41 |
| | 20, 8. | 17 |
| | 20, 9. | 40 |
| | 20, 13.14. | 12 |


ERRA-

Digitized by Google

# E R R A T A.

Pag. 8. lin. 2. *ſepelient* pro *ſepeliant*. l. 5. dele *ſepeliant*. p. 12. l. 6. finali lege, *in prophetiis prædici*. p. 14. l. 4. fin. *varia* pro *vana*. p. 16. l. 6. fin. dele utrumque comma. p. 17. l. 18. *indicatur* pro *indicantur*. p. 19. l. 10. *poticorum* pro *politicorum*. p. 36. l. 4. fin. *ad* pro *ac*. p. 48. l. 11. *optima* pro *opima*. p. 49. l. 8. ſic ſcribe. Et, ne quid deſit audaciæ, pro *ſeptuaginta annos*, quod Hebraicè eſt שִׁבְעִים שָׁנָה, ter in eodem capite reponit *ſeptem annos*, quod Hebraicè eſt שֶׁבַע שָׁנִים : atque ita ſex voces fidenter mutat. p. 56. l. 6. fin. *accedet* pro *accedent*. p. 66. l. 11. fin. *herbas* pro *turbas*.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1-6-2

Digitized by Google